


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
4 B
12

# IOAN. THOMÆ FREIGII

# MOSAICVS,

*CONTINENS HISTORIAM Ecclesiasticam, 2494 annorum, ab orbe condito vsq; ad Mosis mortem.*



BASILEAE,
PER SEBASTIANVM HEINRICPETRI.



NOBILITATE ET *ERVDITIONE, EIVSQVE comite Humanitate, præstanti adolescenti* IACOBO BIORNO *Dano:*

IOAN. THOMAS FREIGIVS S. D.



IN uarijs meis difficilimisq́ temporibus, cùm aliæ historiæ, tū præsertim ecclesiasticæ, maximoperè me semper delectarunt ac quasi recrearunt. Nam & uarijs præstantissimorum uirorum uirtutibus refertæ sunt, & omnis generis exempla casuum ac temporum continent, ex quibus cuilibet sibi apta & idonea solatia excerpere obuium ac promptum est. Itaque non tantum lumina illa humani generis, Ada-

mus, Noachus, Abrahamus, Isaa-
cus, Iacobus, Iosephus, Moses oc-
currunt: sed simul etiam perpetuæ
rectè sentientium ac bene beateq́
ac Deo congruenter uiuentium ca
lamitates & exiliorum, calumnia-
rum, bellorum, morborum, ege-
statum, orbitatum miseriæ, spe-
ctandas se offerunt. Quòd si igitur
ullo tempore medicina aliqua cer-
ta his difficultatib. mihi opus fuit,
hoc certè anno opus fuit, in quo ca
lumnijs maleuolorum hominum
& ijs malis quæ inde secuta sunt,
mirum in modum afflictus ac ten-
tatus sum. Nam ut de calumnijs
primùm dicam, hac æstate cuius-
dam malè conciliati Theatini epi-
stola publicè sparsa non tam alios
bonos doctosq́ uiros, & de Chri-
sto rectè sentientes, quàm me in
primis

primis ita lacerauit, ut illi Theatino uel potius Theonino homini, argumentum electum putem, quo in me procacius liberius'que ceu emissarius quidam incurreret. Et quãquam nemo unquam me tam parum Christianè acceperit ex eruditis, nec accipere etiã posit (quanta enim potui modestia, hactenus uitam meam transegi) cum tamen non tantùm in quo conscientia nostra acquiescat, sed etiam quid bonorum uirorũ de nobis iudicium à maleuolis corruptum requirat, etiam atque etiam considerandum sit: existimationis meæ tuendæ gratia (cuius defensio, lege naturæ cuiuis lacessito permissa est) facere debui, ut homo tam maleuolus, non quidem à me malè audiret, sed se parum uerè parumq; Chri-

ſtianè de me ſcripſiſſe intelligeret. Cuius uerba ut rectius intelligantur, de uerbo ad uerbum, nihil neque addens neque detrahens, huc
„ ponere uolui. Cum Altorfij (ait)
„ publicas aliquot lectiones Ariſto-
„ telicas in omnium, qui illic ſunt,
„ auditorum frequẽtia feciſſem: tum
„ IOAN. THOMAS FREI-
„ GIVS Iuris Doctor & eius ſcho-
„ læ Rector, ſibi ſuæq́ doctrinæ ti-
„ mens (exploſo enim Ariſtotele,
„ PETRI RAMI placita is ſequi-
„ tur, atque ἄσπονδον πόλεμον cum o-
„ mnibus Peripateticis ſuſceptũ ha-
„ bet) cepit omnes meos auditores
„ inimicorum loco habere: & ho-
„ ſpitem meum ne ſuis in ædibus me
„ retineret, ſolicitare: & certos quoſ-
„ dam homines, qui in lectionibus
„ meis ſtrepitũ excitarent, clam ſub-
mittere

mittere & nonnullos contra me «
Pasquillos per totum illud oppi- «
dum spargere. Quibus ego iniu- «
rijs commotus, ipsum publicè in «
publicum certamẽ philosophicum «
prouocaui: ad quod nec ipse Re- «
ctor, nec sectatores eius uenire «
ausi sunt, sed barbarorum homi- «
num more in gladiatorium certa- «
men me poposcerunt. Hic homo, «
non modò philosophus & chari-
tatis Christianæ adeò tenax ac stu-
diosus uel religiosus potius, ita ut
in tota illa sua Euangelica peregri-
natione nullum hominem Chari-
tate præditum inuenerit: hic in-
quam tam charitatiuus homo, ad-
de etiam uerax, quod'nam hîc de
se charitatis, imò ueritatis exem-
plum præbuit? id nimirum quod
in tanta uerborũ paucitate, nouem

ipſius ψυδαδεια manifeſtè demonſtrant. Nam primò me mihi, meæque doctrinæ timere dixit. Quòd mihi timuerim, fortaſſe non omnino nihil eſt. Scio enim quid Sycophantarum morſus poſsint & quàm facilè illis ſæpè aures pateant: præſertim cum ignoti ſunt, & de religione uera quidlibet ſimulantes, homines credulos nanciſcuntur. Hæc enim hodie fallendi tritiſsima uia eſt. Accedunt oculi illi obſtipi, neſcio quid ſanguinolentum ſpirantes ac tuentes: qui ſiue ſectæ ipſius præſcripta ſequerentur, ne quid illis uago obtutu minus ſacrum ſeſe offerret, ſiue maleuolentia quadam ita ſuffuſi guttulis ſanguineis fuerũt: ſi non metum, at ſuſpicionem aliquam mihi afferre potuerunt. Quod uerò

ad

ad doctrinam meam attinet, tantum illi metuo, quantum cœlo ne ruat. Cui ne metuere debeam, non modò ueritas, quam sequor, sed etiam diuturni temporis usura facit, cum libri quos hactenus edidi, & in quos meum de rebus iudicium meum tenue cõtuli, non modò ab omnibus intacti, sed etiam multis doctis tam uiris quàm adolescentibus grati acciderint, ita ut centuriam propemodũ gratulationum nobis factarum (si necesse sit) isti procaculo homini reponere passim. Et ut intelligat, quam parum meæ doctrinæ metuam, quamq́ ipse parum in sua sapiat: recordetur iste sapiens & cõfidens homo conuiuĳ illius in quo inter me & illum de historiæ primùm definitione (quam tantus Logicus,

tus, licet mirè ſe torqueret, nun-
quam tamen definire potuit) de-
inde de ſyllogiſmo phyſiognomo-
nico (quem tantus Organi Ariſto-
telici apud Argentinenſes Polono
rum interpres, in Ariſtotelis or-
gano deſcribi negabat, quia artem
tantum ueterem ſuperficialiter a-
pud Sophiſtas didicerat) ac tan-
dem de Ariſtotelica apodixi (cu-
ius exemplum proferebat, homo
eſt animal rationale: cum ipſe A-
riſtoteles definitionem dicat eſſe
principium, ideóque ἀναπόδεικτον)
diſputatio fuit. In quà unius ſemi-
horæ collocutione immenſam il-
lam diuini philoſophi ſcientiam
ex barbarorum ſophiſtarum lacu-
nis, non ex puris Ariſtotelis fonti-
bus hauſtam liquidò depræhendi:
eumq; errorem ipſi demonſtraui:
ſed

ſed quo didactro? tali diſcipulo di-gno: ſtultum enim me uocauit & ut Græculum irriſit. Atque hoc primum ψουδάειον eſt. Alterum eſt quòd Ariſtotelem explodam. O' egregiè charitatiuum hominem & ueritatis ſtudioſum! Vnde quæſo illud quòd ego Ariſtotelē contemnam? fortaſſe ſimios Ariſtotelis (qualis ipſe eſt) me nihilifacere, dicere uoluit. Quid enim eſt quod magis propoſitum mihi habuerim ſemper in philoſophia & & adhuc habeam, quàm Ariſtotelis methodum à generalibus ad ſpecialia & leges illas auguſtiſsimas ſapientiæ, iuſticiæ & ueritatis, quæ omnia iſte tam intelligit, quàm ego Scythicum ſermonem. An peritus homo & ingeniorum noſtri ſeculi cenſor (qui omnes infra

fra se despicit) nunquã nostra qualiacúnque Logica, Ethica, Politica ex Aristotele scripta legit, aut si legere præ maioribus illi non uacauit, nunquam ad minus uidit, aut ex discipulis nostris & amicis de his audire potuit? Quid igitur minus uerum est aut cõsentaneum quàm dicere, FREIGIVS Aristotelẽ explodit: & idem Logica, Ethica, Politica Aristotelis integra publicè nõ modò in Friburgẽsi & illa ipsa Altorfiana Academia & quidem in fontibus ipsis Grçcè explicauit: uerumetiã editis libris commendauit & studiosam iuuẽtutem methodica Analysi, pro sua tenuitate ad ea legẽda adiuuit? At quàm acutè censor iste noster Theoninus mouetur? Rami placita sequitur FREIGIVS, ait, Aristotelem

lem igitur explodit. O' acumen Carneadeum! Freigius Platonem, Virgilium & alios ethnicos legit, Mosem igitur reprobat. Necesse ne est Rami lectione Aristotelem reijci: quid si plerosque fateri discam, se nunquam Aristotelem intellecturos aut lecturos fuisse, nisi Ramum ad eius adyta mystagogũ nacti fuissent: adhuc in tua illa maleuola suspicione latitabis? At homo Græcus, qui in illo sibi parum salutari conuiuio, mihi per iniuriam Græcæ linguæ cognitionem obiecerat, nunc eruditior factus, ne omnino se imperitum haberi putet, Græcis uerbis meum erga Aristotelem odium ἄσπονδον πόλεμον appellat. Vt igitur inter me & Aristotelem pax coëat, inducias tantisper pago, donec ille magnus pa

ter

ter patratus pacem in leges Aristo
teli placentes conficiat: sed ne πα=
ραπρεσβείας accusari possit, etiam at=
que etiam moneo hortorq́ue ut A=
ristotelem de pacis legibus agen=
tem attentè audiat, uerbáque fœ=
deris ritè solenniter'que memine=
rit. Quòd si poterit, tunc me Iu=
piter ex his terris eijciat, ut ego
hunc lapidem. Verumenimuerò
quasi parum sit, ut me Aristotelis
hostem publico præconio pronun
ciet: etiam omnibus Aristotelicis
inuisum reddere conatur & publi=
cam ἀπέχθειαν denunciat. At ego me
cum Peripateticis neque antiquis
illis doctis & eloquentibus homi=
nibus, neque cum recentioribus re=
ctè & sanè philosophãtibus (qua=
les numero etiam Viuetem, Ra=
mum, Patricium, in primisq́ue Zuin
gerum

gerum, cui Ariſtoteles optimè notus & honoratus eſt) bellum habere affirmo: cum illius autem ſimijs, ut recentibus ſophiſticis & nugatoribus, bellum habere non quidē cupio (quæ enim inde ſpes ampli triumphi?) ſed me in caſtris ipſorum non uerſari liberè profiteor. Ad quartam ueritatem accedamus. Cepiſſe me ait ſtatim omnes eius auditores inimicorum loco habere. O' hyperbolicam ueritatem! Quos habebat? An illos per trium horarum ſpacium (tres enim acroaſes in illa ſua prouincia fecit) ſtatim quaſi Circeo poculo conuertere & in ſuæ philoſophiæ animantes transformare potuit? Qui citius à ſuis illis auditoribus deſertus, imò dc cathedra propemodum deturbatus fuit, quàm qui

ſui

ſui eſſent, agnoſcere potuit: adeò ut iam tum uulgò inter pueros Noricos (quos naſum Rhinocerotis non credebat habere) iactatum ſit, iamdiu nullum breuiorem magiſque methodicũ philoſophum exſtitiſſe, qui tribus lectionibus prægnantiſsimũ Ariſtotelis organum abſoluiſſet. Non igitur ego illius auditores odio habui, nec habere potui, cũ nullos dum ſuos habuerit, cum'que ego ipſe quos haberet neſcierim. Nam ne ipſius prælectionibus aut geſticulationibus potius (de quibus alij mira referebant) intereſſem, ſedulò caui: tum ut de illa ſua iactatione aliquid remitteret, abſente quem ſibi finxerat aut fingere coactus erat aduerſario: tum ut quid monſtri aut quis anguis in hac herba lateret, certius

prius cognoſcerem. Itaque homo ad inſaniam uſque ſuperbus, cum præcipuum ſpectatorem (quem hianti ore admirabundum affuturũ putabat) abeſſe ſentiret: ut eum uel ui uel iniuria eliceret, ſecunda acroaſi, unà cum Sturmio (quem Rhetorculum appellaſſe) & Philippo Melanchthone) quem neſcio quàm contemptim nominaſſe) & cum Cicerone, quem pro loquaci & inepto homine traduxiſſe dicitur: me quoq; indignum licet qui cum his tantis uiris nominer, leuiter perſtringere cepit. Ibi auditores ipſius, quibus illorum uirorum nomen ſanctum, meum (ut Rectoris & Præceptoris, non omnino ingrati) quoquo modo defendendum uideretur, leuiter perſtrepuiſſe dicuntur. Tu homo,

omnem omnium hominũ qui unquam fuerunt, eruditionem supergressus: non dico Sturmium, aut Philippum contempsisse, sed Basiliensis scholæ lumina tria, HOTOMANNVM, ZVVINGERVM, IOAN. IACOBVM GRYNAEVM, tanquam barbaros appellasse multorum testimonio conuinceris: & strepitu te exceptũ admiraris? At homo hac uelitatione leuiter quasi perstrictus & uirtutis suæ memor, uim suscitat ira & in postridianam pugnam omnes opes ingenij & uires corporis comparat: triáque tela, ut Iupiter fulminans, in pugnam affert: & quoniam neminem oppugnare potest (omnes enim intra sua castra habebat literarios milites) in absentem hostem tela torquet:

quet: iubétque Rectori denunciari: ut ad pugnam se paret, triplicem'que aciem, si queat, rumpat. Prima acies primumq; inde emissum telum fuit, de æternitate mundi: altera acies alterumq; telum, de non curantiá Dei: tertia acies tertium'que telum fuit de mortalitate animorum. Quas acies ea confidentia in publicum produxit, ut affirmarit, me nulla ratione creationem mundi, prouidẽtiam Dei, & immortalitatem asserere posse. Hîc uerò tantus strepitus extitisse dicitur, ut pridianus ille præ hoc ludus fuerit: statimq; insperato illo casu Iupiter trisulcus perterritus, tanquam Gigantomachia aliqua immineret qua de cœlo deturbaretur, ita de cathedrá statim se timidus & confusus proripuit. Ego

 forte

forte tunc ad feneſtrã domus meæ ſtans, quæ è regione auditorij erat, conuentum iſtum præter ſolitum breuiter diſſolutum miratus, quærere cepi, & quid hoc ſibi uellet, quòd ſtudioſi tam cito domum redirent. Ibi Iouis bruta illa tria fulmina in uanum eliſa intellexi. Cum autem, quid hæc res ſibi uellet, principio parum attendiſſem: ne tamẽ iſte triumphator aliquam ſibi gloriolam in muſtaceo quæreret, néue idem mihi Altorfij, quod Argentinæ Pappo accideret: de ea re Scholarchas commonefeci, eáſque quæſtiones in ſchola proponi admonui, quæ magis κολάσει quàm νουθετήσει opus haberent. Sed cum ego quieſcere iuſſus eſſem, illi materia triumphi, mihi moleſtia pugnæ remiſſa eſt. Magna audi-

torum

torum petulantia illa fuit, non nego: ſed neque à me comparata neque approbata, quod ſciunt adoleſcentes, quos deinde ab ea deterrui. Hæc ergò ſexta ueritas fuit: cui par fuit quæ hanc anteceſsit, quòd ipſius hoſpitem (Glacianum intelligit niſi fallor) ſolicitaui, ne ipſum in ædibus ſuis retineret. At hîc quis ipſius hoſpes fuiſſet, exprimere debuit: & quomodo illum ſollicitarim, uerbis'ne an per literas. Qui ſi uno uerbo me tale aliquid feciſſe dixerit, habebit me fatentem reum. At qui'nam ſunt illi certi homines (hæc ſexta ueritas fuit) quos ſubmiſi ut Paſquillos contra illum toto oppido ſpargerent? Qui'nam illi Paſquilli fuerint, nego me ſcire, aut quicquam de ea re audiuiſſe. Si quid eiuſmo-

di erat, non'ne id ad Rectorem sta-
tim deferri decebat? quid sibi uult,
quòd homo ille qui uix ad nos per
uenerat, statim rectorem pro ini-
mico habuit? quid illa suspicio,
quid illa alienatio monstri alit? an
ut emissarius à Theatinis aut eo-
rum principe in me emissus & in
scholam immissus fuisti, ut doctri-
nam nostram & persuasionem si-
mulato transitu transfuga fallax
perquireres? non equidem certi
quicquam dicere ausim, sed quid
multi suspicati sint, fortasfsis dice-
re posfsim. Et audes homo audax
& in differendo imperterritus, ad
certamen philosophicum me &
meos sectatores uocare, sed fru-
stra: neque enim tecum nostrum
quisquam congredi ausus est (quæ
est octaua ueritas) sed nos, barba-
rorum

rorum hominum more in gladia-
torium certamẽ te uocauimus: quę
eſt noua tua ueritas. At ueracíſsi-
me homo, ubi, quo die, qua ho-
ra, quibus armis, per quos homi-
nes, quibus præſentibus id factum
ſit, addere debueras. Sed hæc tam
uera ſunt, quàm ea quæ poſtea No
ribergæ in ſumma auditorum fre-
quentia (ut tu gloriaris) &, ut ego
ſentio, tuæ ſummæ eruditionis te-
ſte, de purgatorio & putatiua iu-
ſtitia Lutheranorũ diſputaſſe per-
hiberis. Sed quid de his nugis ad
me ſcribis, (inquies mi Biorne)
quid ad me iſtæ ſtultæ ſtultorum
hominum furiæ? Nihil ſanè: & li-
benter alia nunc tractaſſem huic
tempori magis apta. Sed quia tan-
ta impudentia iſte Theatinus fuit,
ut conficta iſta in me ψευδολογία pu-
 blicè

blicè ſpargere auſus ſit : mihi homini exiſtimationis meæ apud bonos uiros retinendæ cupido, minimè tacitè prætereunda fuerunt: præſertim cum plerunque accidat, ut habet illud uetus : Audacter calumniare, ſemper aliquid hæret. Atque hæc ferenda fuerant : quæ uerò inde ſecuta ſint uide. Quanquam enim non dubito, quin magiſtratus eius ſcholæ iſtius hominis Theonini ſuſurris minimum fidei adhibuerit : id tamen artibus illis Theatinis effectum eſt, ut animus meus aliqua ſuſpicione configeretur: quæ qualis fuerit, neſcio : tanta tamen fuit ut maturius (præſertim alijs cauſis accedentibus) è Noricis ad patriam redierim : quo reditu non tantùm liberali ſtipendio, rei familiaris & ſtu-
diorum

diorum solatio priuatus, sed etiam in meæ, meæq́ familię salutis præsentissimum periculum coniectus sum. Vxorem enim peste correptam (ex qua longo tempore uix eluctata est) filiolam uerò Vrsulam ex duabus natu minorem ereptam nosti. Cuius calamitatis recordatio animum meum effodit, cum puellam præter ætatem (quinque enim annorum fuit) prudentem, morúmque summa suauitate amabilem & rerum cœlestium quasi præsagio quodam cupidissimam mihi ex oculis & domestica consuetudine sublatam cogito. Crescit autem dolor cum dulcissimum patris nomē iam morti proximam ingeminare: cum matri ualedicere: cum εὐφημίαν precationis dominicæ tanquam ex profundo

 somno

ſomno paulum eluctatam, certum
quaſi ſignum τῆς ἀπαθλημίας καὶ ἀπροσκλωώ-
σεως ultrò nemine monente ſibi ex-
promere: ac tandem in extremo a-
ctu, angelorum præſidium ac co-
mitatum requirere recordor. Non
poſſum plura præ lachrymis. Hæc
tibi, tibi inquam homo Theoni-
ne accepta fero: hæc quomodo a-
pud pios & Chriſtianos homines
ac uera charitate præditos defen-
ſurus ſis, neſcio: apud Deum cer-
tè innocentiſsimæ illi animulæ, &
mœſtiſsimo patri te accuſantibus,
quid reſponſurus ſis, meditare. In
his certè triſtiſsimis caſibus mihi
pereundum haud dubiè fuiſſet (mi
Biorne) niſi diuina prouidentia
(quam ego reipſa experior quo-
tidie ſe longè aliter habere quàm
ille ἄθεος ſomniaret) in lucubratio-
num

num mearum emendationem hoc tempore ita incubuissem, ut mens à malorum circumstantium cogitatione molestissima abduceretur. Inter quas hic Mosaicus uel præcipuus fuit, qui nobis medicinam præsentissimam hactenus attulit. Nam etsi in tempora plena periculi incidi & domum meam funestatam conspexi: nihil mihi tamen præcipuè dolendum censui, cum sanctissimorum hominum, Deoq́ OPT. MAX. familiarium Adami, Noachi, Abrahami, Isaaci, Iacobi & aliorum uitam ac œconomiam ab his calamitatibus immunem non fuisse perspicerem. Hunc igitur meum Mosaicum, tibi, nobilissime doctissimeq́ adolescens, consecrare, tuóque nomine inscribere uolui, non tantum quòd fa-

milia

milia tua in Dania celebris, patrisque tui uiri nobilissimi, & apud serenissimũ Regem gratiosissimi autoritas, multum gratiæ huic meo labori conciliatura uideretur: sed etiam quòd tu pro tua eruditione & erga historias amore, optimè de hoc studiorum genere iudicare potes: in primis uerò quòd hoc tã periculoso tempore constanter nobiscum manere, & me in tuam amicitiam admittere cõstituisti. Accipito igitur hoc tenue meæ erga te beneuolẽtiæ testimoniũ, & me quem semel amore tuo cõplexus es, deinceps quoq; constanti amore & charitate non ficta diligito. Ego uicissim tui memoriam sartam tectam tuebor. Deum OPT. MAX. precor, ut iram suã à nobis auertat & eam in gentes quæ illum non norunt

runt effundat, in primisq́; te tuæ il-
lustri familiæ patriæq́; diu incolu-
mem conseruet: & decimis meę fa-
miliæ contentus sit: aut si ipsius di-
uinæ maiestati aliter uisum est, me
meosq́; Abrahamicæ fidei πληροφο-
ρίᾳ nixos, in beatum illum patrum
sanctorũ cœtum duce Iosua, ex hu-
ius Aegypti tenebris & deserti dif-
ficilibus itineribus lætos ac trium-
phabundos in sanctam terram de-
ducat, ubi abstersis lachrymis æter
num Iubilæum agamus: deumq́;
æternũ in æuum celebremus. Dat.
Basileæ ἐν τῇ ἀκμῇ λοιμικῇ: mense De-
cembri, anno Epochæ Chri-
stianæ CIↃ. IↃ.
XXCII.

PSALM.

Eia Deum celebrate omnes facilemq́; bonumq́;:
Eia Deum celebrate, Deū quem turba ueretur:
Et Dominum, domini subdunt cui colla potentes.
Qui solus toto sparsit miracula mundo:
Miranda cœlorum arces qui condidit arte.
Qui circumfusis terras expandit in undis.
Qui gemina ingenti collustrat lumine cœlos:
Qui Soli nitidæ commisit lucis habenas,
Qui tenebris Lunam & Stellarum præficit ignes:
Primigenas magna Aegypti qui strage peremit:
Qui ualido Isacidûm defendit robore gentem:
Et priscam in patriam Aegypto indignante reduxit:
Qui medias rubri diuisit gurgitis undas:
Diuisisq́; suos traduxit per maris undas:
Qui Pharium medio prostrauit in æquore regem:
Perq́; Arabum steriles populum deduxit arenas:
Immanes multa strauit qui cæde gigantes:
Præcipitesq́; alta deiecit sede tyrannos,
Gentis Amorreæ tenuit qui sceptra, Seonem:
Et molem ingentis iactantem corporis, Ogum:
Hisq́; erepta suæ donauit prædia genti:
Quæ longa Isacidæ colerent in secla nepotes:
Qui toties miseros & opis respexit egentes:
Et sæuo toties saluos ex hoste recepit:
Qui quæcunq; bonus fecit, nutritq́;, fouetq́;,
Stellantiq́; potens regnat sublimis in æde.

# HISTORIÆ MO-SAICAE LIBER I.

## DE ADAMO.



*Eministis, AVD. è prolegomenis vobis adhuc expositis, quínam primi historiæ parentes ac quasi satores antiquitus fuerint: adeò vt Moses reliquos vel Græcorum vel Latinorum vel Barbarorum historicos multis seculis præcedat, eosq́; omnes longo interuallo post se relinquat. Quod cum ita sit: in hac historica prælectione, Mosen mihi primò proponendum, & historiæ antiquitatem ex illo limpido puroq́ue fonte hauriendam putaui. Cùm igitur prima eius narratio ab Adamo protoplasto & totius humani generis proauo cœpta sit, ineptum vel potius impium existimaui, primum illum hominum satorẽ vel tacitè præterire vel obiter tantum & leui brachio attingere: præsertim cum Græci in primis suis conditoribus quos Autochthonas vocant,*

*& Latini in Aboriginibus suis celebrãdis, nullũ neq; modũ neq; finẽ faciant, & suas origines, instar Suffenorũ, ambitiosè ubiq; declamitent. Constitui igitur Adami historiã, sed breuißimè notatis tantum capitibus, recensere & studiosos adolescentes ad sacras literas incitare, quasiq; manu ducere: vt earũ diuinitate cognita, alacrius ac studiosius illas euoluant, in ijsq; ut Regius Psalles iubet, dies noctesq; meditentur. Nam, vt Iustinianus noster in Nouella cxxxiij. ait,* δεῖ ταῖς θείαις γραφαῖς ἐπιμελῶς ἐντυγχάνειν. πολὺς γὰρ ὁ ἱερὸς τῶν τοιούτων βιβλίων χορός. καὶ δυνατός ἐστιν ἑκάστου τὴν ψυχὴν ἐπανορθοῦν καὶ ἐπαίρειν τοῖς ἱεροῖς λογίοις: ὧνπερ εἰ συνεχῶς ἀναγινώσκοιμεν, οὐκ ἄν ποτε σφαλείημεν, οὐδὲ εἰς ἀνθρωπίνας μερίμνας κατενεχθείημεν. *In Adamo igitur historicum fundamẽtum mihi de principio statuo, ad demonstrationem historiæ illius, quæ omnium gentiũ populorumq; ab illo primo parente deductorum res gestas describit: & id quidem non tantum ad originem gentium & rerum gestarum seriem cognoscendam, sed etiam ad laudem virtutis & præstantiæ, quæ in illo primo Aborigine eluxit, imitandam. Etenim qui in historijs*

*rijs prophanis & politicis, cognitionis studio incitati & inflammati versantur: non tantum bella, euersiones urbium, depopulationes agrorum, deuictas ac vastatas regiones, legere: sed etiam hominum præstantium & omnium seculorum memoria cōsecratorum virtutes & successus ac in rebus gerēdis prudentiam cognoscere volunt. Eodem planè modo in hac prima historia faciendum est: nec solum origo primi parentis, ac ortus planè diuinus & admirabilis ad cognoscēdum satis est: sed tota etiam eiusdem vita, inprimisq́; virtutes, dignitas præstantia: quin & peccata ac næui considerandi, & ad nostram vtilitatem omnia adiungenda sunt: vt sicubi à prima illa præstantia & dignitate humana delapsi, in aliquem errorem incidimus: habeamus exemplum, cuius imitatione culpam contractā noua virtute redimamus. Quare agite, AVD. Adamum proauum nostrum nobis proponamus, eiusq́; vitam totam percurramus: patriam amplissimam, parentes nobilissimos, vxorem coniunctissimam, victum simplicissimum, leges sapientissimas, errores etiam grauissimos, filios, mortem, posterosq́; cōsideremus: & ad extremum,*

 tremum,

*tremum, eundem cum secũdo Adamo, Christo Domino nostro comparemus. Longa est narratio & quæ plurimos actus complectatur, vt in qua semina totius posteritatis lateant, & ex qua tanquàm limpidissimo fonte Oceanus rerum humanarũ exundet: sed prolixitatis illius tædiũ infinita vtilitas ac rerum iucunditas facilè compēsabit.*

Mundus. *Adamus itaq; proauus noster in amplissima ciuitate natus est, in mundi scilicet isto clarissimo maximoq; theatro, recente adhuc & ab officina summi æterniq; opificis calente, ut qui vix ex architecti manibus egressus, domicilio ac hospitio tanti tamq; noui hospitis dedicatus esset. Et quoniam tam augusta ciuitas non obiter aspicienda est, totam illius architecturam & ornatum curiosis oculis altius inspiciemus. Plato certè de hac hominis sede magnificè, vt aliâs semper, philosophatur: & terræ quidem ob stabilitatem eius, formam cubi tribuit: aquæ autem propter fluxum & mobilitatem icosaëdri: igni, quòd is sub pyramide sursum ferri videatur, tetraëdri: aëri, quòd is in motu ignem sursum sequatur, octaëdri. Totum autem vniuersum dodecaëdro comparauit antiqui-*

*tiquitas. Sed Platone omisso, ad Mosis ichnographiam veniamus & Adamicæ illius ciuitatis partes, ornatumq́; admirabilẽ inde percipiamus. In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram: cæli & terræ nominibus partes duas totius vniuersi præcipuas comprahendens. Sed priusquam ad vtramque partem accedamus: architectum ipsum operæprecium sit considerare: qui in voce Elohim non sine magno religionis Christianæ* Deus.
*arcano comprahenditur. Hebræi enim idiomatis proprietas in tribus primis vocibus κα τὰ ϖόδα idem significat, quod creauit Dij: vt hac numeri anomalia plures in vna diuina essentia personæ animo concipiantur. Quod vt minimè vanũ sit, efficit saniorum Hebræorum interpretatio, qui tres personas diuinitatis initialibus literis duarum primarum uocum exprimi affirmant: vt interim taceam de mensis Septembris mysterio, quod in anagrammatismo primi vocabuli seu tituli, quibusdam ita abditum videtur, vt inde tempus conditi mundi non obscurè diuinare liceat. Vtut sit: Deus certè Opt. Max. primo die rudẽ indigestamq́; molem,* Primus dies.
*herbis, arboribus, hominibus, iumentis va-*

*cuam: nullo ornatu adhuc instructam, sed quæ cæli tamen & terræ materia esset, condidit: eiq́; statim lucem, quæ diei & noctis vices repræsentaret, addidit. Isiodorus lib. 5. lucis nomine Angelos intelligit. Hanc molem informem adhuc & inamœnam ita expoliit*

Secundus *postea, vt secundo die tectum illi præclaro do*
& tertius. *micilio imponeret, tertio autem fundamentum iaceret: hoc est, cælum prius ex illa cæca materia in sublime eductum, aspectabile faceret: terram postea sua grauitate in centrū subsidentem, in medio stabilem collocaret. Atque hæ partes huius Adamicæ ciuitatis duæ sunt: quibus postea ornatus singularis, omniumq́; maximè admirabilis accessit. Sic*
Quartus. *enim quarto die cælum Sole, Luna & stellis expolitum est: quo vno spectaculo oculis eruditis nihil potest esse iucundius, nihil gratius. Hanc iucunditatem, hanc gratiam Cicero optimè intellexit: & eius iucunditatis ac gratiæ eloquentissimus præco extitit: cuius præconium hîc audire quid prohibet? Primus Sol, inquit, qui astrorum obtinet principatum, ita mouetur, vt cum terras larga luce compleuerit, easdem modo his, modo illis partibus opacet. Ipsa enim vmbra terræ soli offici-*

*officiens, noctem efficit. Nocturnorum autem spaciorum eadem est æqualitas, quæ diurnorum: eiusdemq́; solis tum accessus modici tum recessus & frigoris & caloris modum temperant. Circuitus enim solis orbium V. defectibus & LX & CCC, quarta ferè diei parte addita, conuersionem conficiunt annuam. Inflectens autem sol cursum suum tũ ad septentriones, tum ad meridiem, æstates & hyemes efficit: & ea duo tẽpora, quorum alterum hyemi senescenti adiunctum est, alterum æstati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omniũ quæ terra mariq́; gignuntur, initia causæq́; ducuntur. Iam solis annuos cursus spacijs menstruis luna consequitur: cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisq; plenissimum. Neq; solum eius species ac forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio quæ tum est Aquilonalis, tũ Australis. Multa etiam à Luna manant & fluunt, quibus & animantes alantur, augescantq́; & pubescant maturitatemq́; assequantur, quæ oriuntur è terra. Maximè verò admirabiles sunt motus earum quinq; stellarum quæ fal-*

*sò vocantur errãtes. Nihil enim errat quod in omni æternitate conseruat progressus & regressus reliquosq́; motus constantes & ratos. Quod est eò admirabilius in his stellis, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur: tum abeunt, tum recedunt: tum accedunt, tum subsequuntur: tum celerius mouentur, tum tardius: tum omnino ne mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Hæc, & plura, Cicero: qui tandem ex hoc tanto cœli ornatu ac stellarum omnium perenni & perpetuo cursu, cum admirabili incredibiliq́; constantia: vim & mentem diuinam intelligi concludit. Hæc enim omnis descriptio siderum, atq; hic tantus cœli ornatus, ex corporibus huc & illuc casu & temere concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest: aut verò alia quæ natura mẽtis & rationis expers hæc efficere potuit? quæ non modò vt fierent, ratione eguerunt: sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt. Itaq; D. Paulus, magnus ille gentium doctor, cœlum & terram non minus quàm Esaias in testimonium contra omnes impios adducit: quorum πλάνην errorem ex eo ortum duxisse ostendit, quòd Deum ex hu-*

*ex huius cælestis machinæ magnitudine & specie, & naturæ clarissimo speculo non agnouerunt, cũ* κατὰ τὸ ὅτι, *ut philosophi loquuntur, ex effectis istis maximè aspectabilibus & in oculos omnium hominum incurrentibus, Dei agnitio generalis non contestatissima esse non possit. Sic enim ait:* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *Eius itaq; erroris grauissima adiuncta idem Apostolus commemorat duo, contemptum scilicet Dei & ingratitudinem erga eundem,* ἀδοξίαν καὶ ἀχαριστίαν: *imò ingens chaos malorum recenset, quasi* ἀντιμισθίαν τῆς πλάνης, *quæ illum contemptum illamq; ingratitudinem sequitur. Hinc enim in animo & ratione est* ματαιότης, σκότος ἡ ἀσυνεσία, μωρία, εἰδωλατρεία: *hinc in corde* ἐπιθυμία, πάθη ἀτιμίας, ὄρεξις: *hinc in corpore* ἀκαθαρσία, ἀσχημοσύνη *& ex his tandem omnibus* νοῦς ἀδόκιμος: *mala mens, malusq; animus. Vnde intelligitur eiusmodi homines, qui diuina hæc opera non considerant, sed Cyclopicè ridẽt,* τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν: *& ut agnitio*

*Dei ſummum hominis bonum eſt, ita eiuſdem ignorantiam cauſam eſſe omnium malorum: è quibus* ματαιοτης *&* σκότος *omniũ ſunt maxima. Vt enim rectitudo iudicij præclarum Dei donum eſt, ita è contra* ματαιότης ἐν τοῖς διαλογισμοῖς *maximum malum eſt: vtq; lux in animis hominũ illuſtrem rationi facem præferens, omnium rectarum actionum cauſa & diuinæ imaginis lucidiſſimum ſpeculum eſt: ita è contra* τὸ σκότος *cæcitas, diuinæ imaginis turpiſſima macula, & in pœnis longè triſtiſſima eſt. His igitur & tantis teſtimonijs adducti, præclarum ornatum cœli diligentius conſideremus: Deumq; ex hac præclara ſpecie, conditorem & gubernatorem agnoſcamus: ne ex harum rerum contemptu, in Dei ignorantiam extremã et ingratudinem contra eundem: ac tandẽ in* νοῦν ἀδόκιμον *incidamus. Sed de cœli ornatu ſatis: veniamus ad terræ expolitionẽ, quæ tertio quidem die, (quo plantæ creatæ ſunt) inchoata: duobus verò poſterioribus perfecta eſt. Nam ad terræ ornatum, piſces & aues, quinto: animalia terreſtria ſexto die condita ſunt. Verùm architecturam huius operis, à quo architecto iuſtius quàm ab*

Quintus & ſextus.

*Eſaia*

*Esaia repetemus? Ipse pugillo, ait, mensus est aquas, palmo ponderauit cælos, tribus digitis appendit molem terræ, in pondere librauit montes, & colles in statera. Imò potius attendamus & animaduertamus, quæ verus Deus ad Iobum profatur: Vbi eras (ait) cum fundarem terram? indica si nosti intelligentiam. Quis posuit mensuras eius si scias? aut quis extendit super eam regulam? Super qd bases eius defixæ sunt? aut quis proiecit lapidem anguli eius? cum proclamarent simul stellæ matutinæ & iubilarēt omnes filij Dei? & quis obtexit valuis mare? cum erumperèt ipsum, cum è matrice egrederetur? cum ponerem molem vestimentum eius & nebulam faciem eius? Et fregi super illud decretum meum, & posui vectem & valuas: & dixi, hucusq; venies, neq; vltrà transgredieris & hîc pones elationē fluctuum tuorum. Hæc diuinus architectus de diuina sua architectura diuinitus locutus est: sed quem pictorem ad diuinæ huius architecturæ picturam aduocabimus? quem nisi illum eundem cæli pictorem Ciceronem? qui in libris de Nat. Deorum, luculentis coloribus hanc omnem elegantiam mirificè varieq; depinxit. Principio,*

cipio, inquit, terra vniuersa cernitur locata in media mũdi sede, solida & globosa & vndiq; ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omniũ incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos amnium, riparum vestitus viridißimos, speluncarum cõcauas altitudines, saxorum asperitates, impendentiũ montium altitudines, immensitatesq; camporum. Adde etiam reconditas auri argentiq; venas, infinitamq; vim marmoris. Quæ verò & quàm varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum? qui volucrum lapsus atq; cãtus? qui pecudum pastus? quæ vita syluestrium? At uerò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo & varietas insularum? quæ amœnitates orarum & litorum? quot genera quamq; disparia partim submersarum, partim fluitantium & innatantium beluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens litoribus cludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aër die et nocte distinguitur,

isq;

*isq; tum fusus & extenuatus in sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremq; colligens terrã auget imbribus, tum effluens huc & illuc, vẽtos efficit: idem annuas frigorum & calorum facit varietates: idemq; & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit & sustentat animantes. Hoc itaq; mundi ἔργον & ἀποτέλεσμα ita perfectũ & perfecta Iehoua appellatione conclusum* Iehoua.
*est. Quòd nomen τετραγράμματον cum Hebræis ἀνεκφώνητον ineffabile sit: mundo in lucem & aspectum ἐκ μὴ φαινομένων producto, effabile factum est: & vbi absolutum opus mundi erat: ibi absoluta quoq; diuinæ maiestatis appellatio innotuit: quod tamen nomẽ tam sanctum tamq; secretum, gentes postea in spurcissimum & prophanatissimum Iouis nomen commutarunt. Sed ciuitatis Adamicæ partes duæ hactenus descriptæ sunto: cælum primò tãquàm sedes & aula summi Imperatoris, in hanc Adamicam ciuitatẽ summum imperium habentis: Terra deinde velut coloni aut vasalli beneficiaria sedes.*

*Verumenimuerò in hac ciuitate quærat* Paradisus.
*aliquis quódnam feudum seu prædium fuerit, vasalli illius seu clientis beneficiarij bene-*

*nefi-*

*neficiarium? Id ipſum Moſes deſcribit, cum ait: Plantauit Iehoua Elohim hortum voluptatis in Oriente: & collocauit in eum hominem, quem formauerat. Hîc rurſum campus ad meditandum ampliſſimus, ad cogitandũ iucundiſſimus ſeſe aperit. Nam & nomen ipſius prædij beneficiarij, & ſubiectus eiuſdẽ locus & adiuncta genialem ſitum ſignificantia, defixum in cogitatione diutiſſimè retinere poſſunt. Prædium itaq; ipſum Moſes Gan Eden vocat, à ſummis delicijs & voluptatibus, quæ in eo viridario fuerunt tales, & tantæ, vt ſi cum his vel Tempe Theſſalica vel inſulæ fortunatæ vel Alcinoi Heſperidũ úe horti, comparentur, præ iſto horto ſordeſcant, faſtidiumq́; pariant. Eden enim Hebræis voluptatem & delicias ſignificat, cui voci Græca vox* τῆς ἡδονῆς *prorſus affinis eſt: Perſæ paradiſum vocabant. Hac enim voce propriè horti regum Perſicorum appellabatur, vt indicat Xenophon in Oeconomico, vbi Cyri regis hortum quem is ſuis manibus Sardibus plantauerat deſcribit,* ἐν ᾧ καλὰ μὲν τὰ δένδρα ἦσαν, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς: ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρ-

ρομαρτεῖσαι αὐτοῖς περιπατοῦσι. ἐγὼ ὦ δῆλω̃ πάν-
τα μὲν θαυμάζειν ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλ-
λον ἄγασθαι τοῦ καταμετρήσαντος καὶ διατά-
ξαντος ἕκαστα τούτων. *Paradisus itaq; nihil aliud fuit, quàm vt Cicero Xenophontis interpres vertit, ager consęptus diligenter consitus: hoc est locus terrę melior pręstantiorq́; & talis hominis status, in quo sine peccato & morte vitam beatam, omniq; bonorum genere affluentem duxisset. Loci pręstantiam Moses etiam in eo significauit, quòd Paradisum in Oriente fuisse testatus est. Orientis enim situs temperatior ac melior est quàm occidentis: idq; summo Hebręorum, Gręcorum & Latinorum consensu, quem diuturna experientia comprobauit. Hinc Ezechiel de electis, quòd facie ad Orientem conuersa adorarint: & Esaias iustitiā ab oriente proficisci scribit. Hinc Aristoteles, Hippocrates, Galenus, Ctesias vbiq; confirmant & propositis exemplis demonstrant omnia pulchriora ac meliora in Asia nasci: & sic fama constans est aurum optimum ac gemmas preciosissimas ad ortum inueniri. Sic igitur & paradisus, hoc est, melior illa hominis sedes in oriente fuit, & quidem non procul à Persidis fini-* Locus Paradisi.

*finibus in Mesopotamia ad confluentes aut ripas eorum fluminum quæ ibidem à Mose describuntur. Sed ad genium huius beatæ sedis & eius adiuncta veniamus: scribit enim Moses, Deum Opt. Max. non modò arbores plerasq́; aspectu iucundissimas & gustatu suauissimas: sed præcipuas duas, vnam vitæ alteram scientiæ huic viridario implantasse: quin etiam totum viridarium aquis limpidissimis & fluuiorum maximorum scaturiginibus irrigasse. Cuius rei fama haud dubiè etiam ad ethnicos aliqua peruenit. Quid enim litera illa Pythagoræ aliud est, quàm arbor illa scientiæ boni & mali, quæ*

Arbores paradisi.

—discrimine secta bicorni
Humanæ uitæ speciem præferre uidetur?

*Nam etsi simpliciter & sine retrusiore sensu tota res intelligi possit, vt arbor vitæ, hãc vim naturalem habuerit, vt de ea gustantes perpetua soliditate corroboraret, ac omnes senectæ imbecillitates ab illis arceret: arbor verò scientiæ omnium rerum bonarum & malarum cognitionem conferret: allegorias tamen nonnulli finxerunt: easq́; non inconcinnas, si modò in his moderatio teneatur, de qua Epiphanius contra Apostolicos ait:*

*ait:* οὐ πάντα τὰ θεῖα ῥήματα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει: θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Θεωρίαν *itaque istam Epiphanij vt adhibeamus: duo religionis Christianæ vel præcipua capita sunt, Lex & Euangelium. Lex ostendit quid faciendum, quid fugiendum: quid rectum, quid turpe sit: Euangelium docet, quæ vita æterna sit, ad quam præcipuè homines anhelant. Non igitur ineptè arborem scientiæ boni et mali, ad Legem: arborem vitæ ad Euangelium referemus, vt ne has quidē vegetantes naturas frustra Deus in medio horto posuerit, sed rerum maximarū initia hac quoq; ratione facere & fidei fundamēta iacere voluerit. Alij ab effectu sic dictum volunt: quòd postquam primi parentes de eius fructu gustarunt, seq; nudos, hoc est, omnibus primæ naturæ dotibus spoliatos viderunt: tum demum, quantum boni in obedientia, quantum mali in inobedientia esset, intellexerunt. Iam in ærumnis & calamitatibus, quibus hominum vita innumeris obnoxia est, hoc remedio vel potius solatio, multi sese erigunt. Vt enim arbor scientiæ boni & mali, viridis & aspectu iucunda fuit: sed Ada-*

B *mo &*

*mo & posteris eius mortem attulit: arbor autem vitæ in ijs qui de eius fructu gustarunt, vitæ æternæ semina excitauit. Ita calamitatibus conflictantes rectè hoc secum cogitant beatam in hoc mundo vitam quam vocant, esse quidem illam iucundam & expetẽdam, sed ijs qui se illa ingurgitant, mortis caussas afferre: Crucem autem cuius aspectus horridus tristisq; & amaris radicibus sit, ad æternam beatioremq; vitam traducere. Alij longiùs progressi, cum ea quæ suprà de vita & cognitione retulimus, arboribus minimè conuenire existimarent, utrumq; ad ipsum hominẽ transtulerent. Nam homo non modò vita, sed & intelligentiæ compos natura est. Is itaq; primò arbor est, hoc est, natura seu essentia corporea, in eoq; cũ reliquis materiatis naturis conuenit, at à spiritibus & genijs differt, qui quanquam & ipsi viuunt, ac boni mali q; noticiam tenent, corporeum tamen nihil habent. In medio autem paradisi arbor posita est, quia homo quasi intermedius est inter creatorem supra se positum & inter res creatas sibi à creatore subiectas. Quam autem diu post secesserit Adami creatio à creatione posterorum ipsius, id indicãt*

eædem illæ arbores vitæ & scientiæ. Sicut enim in Samia illa figura literæ Pythagoricæ Y, primò truncus apparet integer: postea vero τῷ δ᾽ ἐχομένῳ in summo bifurcatus ramus emergit: ita (quæ nunc nostra natura est) homo in prima ætate tantum viuit, sed tum demum cum adoleuit, inter bonum & malum discernere incipit: tum quidem demum eius opera aut bona aut mala dici possent. At longè secus in Adamo accidit: is enim à primo statim ortu, cum recens ex opificis manibus exijsset, non tantam vita sed & scientia boni maliq; præditus fuit. Verùm de arboribus paradisi topiarijs satis: ad fluuios eiusdem loci geniales veniamus. Scribit itaq; Moses paradisum quatuor fluminibus irrigatum fuisse: quorum nomina fuerunt Pischon, Gichon, Chidekel, Phrat. Pischon seu Phison terram Chauila vel Heuila, id est, Indiam circuit & arenas aureas trahit ac bdellium (id est, ut Iosephus vult, Sardam) & Onychem detegit. Nomen secundum Isidorum habet ab inundatione & amplitudine aquarum, ab Hebræa voce Posch. Nam ut idem Isidorus ait, decem magnis fluminibus augetur priusquã in mare euoluatur: vulgò Ganges vocatur. Fluuij paradisi.

*Gichon vel Geon terram Chus, id est, Aethiopiam circuit, quem Iosephus Nilum esse contendit: dictus ab aquarum eruptionibus perpetuis, à verbo Goach vel Giach. Chidekal per Assyriam currit: nomen compositum est ex Chaddad acutus fuit & Calal leuis fuit. Est enim fluuius rapidus & velox. Hinc etiã Tigris aliâs dicitur, nomine sumpto ab eius animantis pernicitate. Phrat, id est, Euphrates per mediam Babyloniam fluit: nomenq́ue habet à fertilitate & inundatione. Mesopotamiam enim ita irrigat, vt Nilus Aegyptũ. Etsi autẽ alij hæc quatuor nomina vnius eiusdemq́ue fluminis Euphratis, aut certè vicinorum in Mesopotamia fluuiorum nomina esse non temerè existimant: nihil tamen absurdi est, de Gange, Nilo, Tigride & Euphrate ita sentire, vt ea in paradiso ortum habuerint, postea verò in diluuio fontes ipsorum dissipati fuerint.* Adamus. *Atq́ue hæc de patria Adami nostri: videamus nunc de parentibus ipsius & ortu diuino, eiusq́ue ortus causas excutiamus. Efficiens itaq́ procreans causa seu Demiurgus est Deus, hoc est ipsa trinitas. Sic enim apud Mosen Deus inquit, faciamus hominem, Naase Adam,* ποιήσωμεν ἄνθρωπον.

*Nam*

*Nam & hic Hebræi idiomatis natura plures in vna essentia diuina personas nobis proponit: & sic in synodo Syrmiensi contra Photinum à Constantio Imp. coacta, nominatim hic locus Mosis allegatus & expositus est, vt testatur historia tripartita lib.5.cap.8. & extat in Socrate scholastico decretum eius synodi his verbis:* εἴ τις τό, ποιήσωμεν ἄνθρωπον, μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγειν, ἀλλ' αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι: ἀνάθεμα ἔστω *hoc est: Si quis hoc, faciemus hominem, non patrem ad filium dixisse, sed ipsum ad sese Deum dixisse, anathema sit. Atq; hæc de parentibus Adami: Nam vt Lucas cap.3. scribit Adamus filius Dei fuit: & Arati principium erat,*

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
ἄῤῥητον, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα,
καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν·

*Adamus autem ex humo factus est, vt Moses testatur: quemadmodum à figulo ex limo terræ figlina finguntur: id quod indicat verbum Iizer: Nam vt figulus in argillaceam materiam imprimit aliquam for-*

*mam: Sic, ut ait Ouidius,*

*—modo quæ fuerat rudis & sine imagine tellus,*
*Induit ignotas hominum conuersa figuras.*

*Vnde Hebræis Adamus dictus est ab Adama, id est terra, quasi γήϊνος: & Latinis homo ab humo. Cyprianus Adami interpretationem longius quæsiuit. Adam, inquit, interpretatur terra caro facta, eo quòd ex quatuor cardinibus orbis terrarum Deus pugno comprehendit & finxit hominem ex omni limo terræ ad imaginem suam. Vnde oportuit eum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomẽ portare Adami. Inuenimus in scripturis per singulos cardines terræ esse à conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus. Prima stella orientalis dicitur ἀνατολή, secunda occidentalis δύσις, tertia aquilonis ἄρκτος, quarta meridiana dicitur μεσημβρία. Ex his quatuor nominibus Græcis tolle singulas literas principales, habebis nomen Adã. Nam in numero certo per Græcas quatuor literas designatur numerus quadragenarius senarius, passionem carnis Adæ significans, quam carnem in se figuralẽ Christus portauit & eam in ligno suspendit. Hic ergo numerus 46. passionẽ declarat, eo quòd sexto*

*sexto millesimo anno, hora sexta passus: à mortuis resurgens, quadragesimo die in cælos ascendit: vel quòd Salomon 46. annis tēplum Deo fabricauerit, in cuius templi similitudinem IESVS carnem suam esse dixit. Hæc ille: piè quidem, sed parum constanter Hebræi nominis uim ex Græca origine deducens. Quod autem ad formam primi hominis attinet, creatus est ille ad Dei imaginem, id enim in Mose vox Zelem & demuth indicant. Imaginem autem eam intelligimus de anima rationali & immortali, cuius particeps factus est Adam, quam etiam halitum vitæ nischmath chaym Moses appellat. D. Paulus hanc imaginem de participatione diuinæ iustitiæ & sanctitatis interpretatur.* τὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας: *ait 4. ad Ephes. Hic itaque totum bonum hominis comprehensum est, hæc præcipua illius essentiæ pars est, omnibus integritatis, libertatis, gloriæ, sapientiæ, fælicitatis, beatitudinis numeris expleta, innocentiæ quoque exornata, cuius symbolum nuditas ipsa fuit. Quantum autem (ut reliquas dotes taceam) argumentum sapientiæ in Adamo fuit, quòd is omnibus re-*

bus à Deo creatis nomina imposuerit? Quã enim difficile sit recta rebus nomina dare, amplissimè à Platone testatum est in Cratylo, vbi sic ait: οὐ φαύλου ἡ τοῦ ὀνόματος θέσις, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων· οὐδὲ πᾶς δημιουργὸς ὀνομάτων ἐστι. Et aliquantò inferius ait. τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν: quasi θέσις & ὀρθότης ὀνομάτων maius humano ingenio opus sit: tandemq́ originẽ nominum ad barbaros refert, hoc est ad Hebræos vt interpretatur Eusebius lib. 11. τῆς παρασκευῆς. Superest finis ad quem Adamus conditus fuit: hoc est ἔργον & officium eius, cuius gratia in paradisum à Deo fuit collocatus: Nam vasallus ille Dei Opt. Max. in beneficiarium illud prædium ideò positus à Mose scribitur, vt id tanquam bonus paterfamiliâs non tantùm coleret, sed etiam custodiret: vt nimirum in eo excolendo domini sui bonitatem immensam cum pari coniunctam sapientia & potẽtia quotidie recognosceret & ex laborum suorum primitijs dominum honoraret, ipsiusq́ imperium hac beneficiaria liberalitate contestatũ faceret. Addit autem Moses Adamum etiã ideò ad Dei imaginem cõditum esse, vt dominaretur re-

*liquis animantibus omnibus, eaq; imperio quasi mixto vnus omnia contineret. Atq; hanc Adami nostri naturam Ethnici quoq; aliqua ex parte perceptam habuerũt. Nam quod Deus ipse apud Mosen ait, ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον: id Manilius Latino versu comprahendit: dum canit,*

*Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua.*

*Et Lucianus, quantumuis aliâs ἄθεος, ὑπὲρ τῶν εἰκόνων: φιλόσοφός τις, ait, εἰκόνα θεοῦ τὸν ἄνθρωπον εἶναι εἶπεν. Plutarchus quoq; hominem μίμημα δαιμόνιον definit. Omnium autem copiosißimè & venustißmè de hoc diuino opificio poëta Naso philosophatur: cum δημιουργίαν illam humanam prosequitur: Nam cum totius mundi & omnium animantium reliquarum creationem absoluißet: de homi mine subijcit.*

*Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ,*
*Deerat adhuc & quod dommari in cætera posset.*
*Natus homo est: siue hunc diuino semine fecit*
*Ille opifex rerum, mundi melioris origo.*
*Siue recens tellus, seductaq; nuper ab alto*
*Aethere, cognati retinebat semina cœli:*
*Quam satus Iapeto, mistam fluuialibus undis*
*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum,*
*Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,*

*Os homini sublime dedit, cœlumq́ue uidere*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.*
*Sic modò quæ fuerat rudis & sine imagine tellus,*
*Induit ignotas hominum conuersa figuras.*

*Atque hæc Adami natura, causis suis ita à Mose comprehensa & ab ethnicis exoterico testimonio contestata fuit. Videamus qualem* Eua. *illi coniugem Deus adiunxerit: coniugiumq́, ipsum generatim suis quoq; causis & adiunctis, sed Mosis nostri vestigiis persequamur. Cùm igitur Deus Adamum creasset. Non est bonum (ait) hominem solum esse, faciamus ei subsidium, quod sit coram eo. Cùm itaq; profundum somnum Deus Adamo immisisset, sumpsit vnam de costis eius & ex ea mulierem ædificauit, eamq́, ad Adamum è somno iam experrectum adduxit. Quam cũ is animaduertisset, os (ait) ex ossibus meis & caro ex carne mea: proptereaq́; vocabitur Ischa, id est, virago seu ἀνδρὶς vt Aquila vertit: quia ex viro sumpta est ista. Mira, dices, illa mulieris creatio est. At multò admirabilior illa viri ex terra exædificatio fuit: sed vt hæc ethnicis credibilis, ita & illa iisdem non ignota fuit: & sic nominatim Plato in dialogo περὶ τοῦ ἔρωτος scribit*

*olim*

*olim marem & fœminam concretos & in vnum corpus coalitos fuisse. Quod ne fabula aut idea Platonica videretur; Eusebius lib. 12. πρωτερασκελης nominatim id ad creationem mulieris ex costa viri retulit. In religione autem Christiana ad Ecclesiæ imaginem id translatum, mysterij nō leuis speciem præbuit. Quemadmodum enim ex Adamo dormiente costa direpta est, vnde mulier ædificaretur: Ita ex Christo altero Adamo in cruce obdormiscente, ecclesia propagata est. Sed de vxoris Adami creatione satis: ad coniugium accedamus: Logicamq; eius Mosaicam attentè consideremus. Quid igitur, quem autorem huius vinculi Moses consecrauit? Deum inquam ipsum, hoc est totam diuinitatem. Neq; enim tantùm Deus sponsalia in paradiso confecit, sed etiā Adamum ad Euam sponsam adduxit. Rectè igitur à Paulo Hebr. 13. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Sed quænam huius connubij forma à Mose describitur? Illa in legitima & indissolubili coniunctione & indiuidua vitæ consuetudine statuitur. Sic enim ait, erunt duo in carnem vnam. Vnitas enim non tantum perpetuæ coniūctionis vinculum, sed etiam* Coniugium.

*omnis*

*omnis & diuinæ & humanæ domus societatem (vt Imp. ait) complectitur. Itaq; tam indiuidua, tamq; arcta illa societas est, vt nulla quantumuis tetra corporis deformitas, coniuges separare amplius possit. Adeò vt nec propter lepram subtrahere se prorsus consuetudini coniugali possint. c. 2. De coniug. lepros. Quid enim tam humanum est (vt ait Vlp. in l. si cum dotem. 22. §. si maritus. Sol. matr.) quàm fortuitis casibus mulieris maritum vel vxorem viri participẽ esse? Quin & vxor maritum sequi iubetur quocunque is proficiscatur: & sic Sara Abrahamum, Rebecca Isaacum, Rachel & Lia Iacobum, Penelope Vlyssem secuta est. Restat finis coniugij: qui in Mose duplex est, Societas nimirum & Generatio. Primùm enim ideò Deus Opt. Max. hoc quasi iugo fœminam mari copulauit, vt haberet sociam seu βοηθὸν laborũ suorum & in ipsius fideli opera consiliorumq; communicatione acquiesceret. Id enim est adiutorium illud coram Adamo, de quo Moses loquitur. Deinde vt certa lege genus hominum conseruaretur & vt Moses ait, cresceret et multiplicaretur. Vnde rectè Plato lib. 6. de Legibus ait, ὡς χρὴ τῆς ἀειγενοῦς φύσεως*

σεως ἀντέχεσθαι, τοὺς παῖδας παίδων καταλείποντα ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὐτοῦ παραδιδόναι. *Et Iustinianus Nouell. 22. περὶ τῶν δευτερογαμούντων: nuptias rẽ omnium præstantissimam vocat: & tantùm maiestatis in se habere ait, vt humano generi quãdam veluti arte conquisitam immortalitatẽ inducat, efficiatq́ ut prosapiæ filiorũ, procreatione renouatæ, in perpetuum durent. Itaq́ Rabbini eum qui fructum ex se non edat, cõparant effundẽti sanguinem: Schophech damim: aiuntq́ eum qui habitat sine vxore, esse sine bono, sine benedictione, sine cohabitatione, sine lege, sine pace: belo tofa, belo biraka, belo bira, belo thora, belo schalom. Deniq́ eum qui sine vxore est, non esse habendum pro homine. Quæ cùm ita sint, rectè Deus Opt. Max. Adamo Euam*

Connubio stabili iunxit, propriamq́ dicauit,

*vt cum poëta loquamur: nimirum vt omnes annos cum illo,*

Exigat, & pulchra faciat quoq́ prole parentem.

*Atq́ hæ causæ coniugij tam Logicè à Mose propositæ sunt. Adiunctum autem eiusdem in benedictione connubiali fuit. Itaq́ prima Dei vox, simulatq́ Adamum Euamq́ creasset,*

*sit, hæc fuit: Crescite & multiplicamini. Cuius benedictionis euentum historia insequentium temporum abundè prolixeq; testatur, quomodo scilicet, & quàm longè lateq; primorum patrũ progenies succreuerit, nec tantùm numerum stellarum superarit, sed penè etiam multitudinem arenarum exæquarit. Sed de primorum parentum ortu satis: victum autem eorum tanquam causam*

*Victus.* *conseruantem requirenti, Moses itidem respondebit simplicissimum nec, vt nunc est, cruentum, sed ex herbis, radicibus, ac arborum fructibus fuisse. Quod Pythagoras quoq; apud Ouid. lib. 15 Metamorph. respexisse videatur, qui cum ὠμοφαγίαν Cyclopicam diceret & à natura hominis abhorrere ostenderet, ad illam primam primorũ hominum diætam suos auditores reuocat. Nam, vt ipse apud poëtam canit,*

Prodiga diuitias, alimentaq; mitia tellus
Suggerit, atq; epulas sine cæde & sanguine præbet.
Sunt etenim fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidaq; in uitibus uuæ:
Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flamma
Mollirìq; queant, nec nobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.

*Verumenimuerò cùm ciuitatem quandam*

*Dijs*

*Diis hominibusq; communem, incolas etiam ipsos, seu colonos beneficiarios & glebam cui addicti fuerant, eorumq; patronum cognouerimus superest, quoniam nullus legitimus cœtus sine iuris alicuius vinculo consistere potest, vt videamus ecquas leges suis clienti bus & nouæ isti ciuitati patronus præscripse rit. Apud Mosen certè tres in summa leges inueniuntur, quibus religio, œconomia & politia, tres summi in humana societate gra dus sanciuntur & quodammodo circumual lantur. Ex his prima ad Deum ipsum ceu pa tronum spectat, in qua sacramentum vitæ & formula homagii, fidelitatis & obedientiæ erat. Nam ita in prædium paradisi beneficiarium collocati illi clientes erant, vt abstinerēt ab arbore scientiæ boni & mali. Quæ prima & summa lex est, omnium reliquarū legum matrix, vt Tertullianus ait. Reliquæ duæ ad hominem ipsum pertinent: ex quibus prior fuit de œconomia & coniugio. Nam inter maritum & vxorem societas vitæ & cōmunio omnium humanarum diuinarumq; rerum sancita est & prohibitæ sunt incestæ libidines, iussusq; est homo relinquere patrē & matrem & adhærere vxori suæ. Altera* Leges.

fuit

*fuit de Dominio rerum corporalium, cùm dicitur, Subijcite vobis terram & dominamini piscibus maris. Hæc lex fundamentum est Politiarum omnium & initium imperiorũ: complectiturq́; distinctionem dominiorum possessionumq́; & omnis generis contractuũ. Hæ igitur sapientißimi legislatoris sapientißimæ leges, eæq́; ternario numero compræhensæ, primis parentibus in paradiso ante lapsum propositæ fuerunt. Verum rectè poëta,*

Nitimur in uetitum semper, cupimusq́; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Peccatum. *Nam quam legem religiosißimè sanctißimeq́; isti clientes colere debebant: eam turpißimo lapsu, erroreq́; pudendo & vt feudistæ loquuntur, iniqua felonia violarunt: diuinamq́; imaginem in se polluerunt & conspurcarunt. Hic igitur locus in primis animaduertendus est: hæc philosophia omnibus omnium ætatum philosophis ignota, præcipuè meditanda est. Magna enim semper apud omnes eruditos dubitatio fuit; quæ causa esset, cur cũ homo omnium naturarũ præstatißima & diuinitatis particeps esset: morte tamẽ & tot calamitatibus opprimeretur.*

*Huius*

*Huius dubitationis exitum hoc loco Moses expediuit. Nam vt Paulus ait 5. ad Rom:* δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. *Hîc igitur nobis dicendum est de diuinæ imaginis per peccatum Amissione: & eiusdem per semen promissum redintegratione, ac in integrum restitutione. In Amissione verò Causas & Effectus considerabimus. Quid igitur, quis peccati illius & feloniæ autor est? Serpens inquam ille antiquus & Hominis volũtas à malo genio incitata: Nam cum assumpta serpentis forma diabolus Euam interrogaret, cur Deus ipsos fructibus pomarij omnibus, vesci prohibuisset, Euaq; responderet id interdictum ad eã tantum arborem pomarij pertinere, quæ in medio horti esset, de hac enim Deum vetuisse ne gustarent, nisi vellent mori: respondit nequaquã eos propterea morituros, sed Deum scire futurum vt si de eo comederent, oculi ipsis aperirentur & ita tanquam Dij fierent scientes boni atq; mali. Cumq; Eua arboris fructus aspexisset pulchritudine eorum illecta, gustauit, Adamoq; etiam porrexit,*

*statimq́; oculi eorum aperti sunt, seq́; nudos esse viderunt. Hanc serpentis astutiam poëtæ veteres non omninò ignotam ethnicis fuisse ostendunt, cùm nescio quæ mala Hesperidum ab eo custodita fingunt: vel ab Iasone draconem interfectum scribunt,*

Qui crista, linguisq́; tribus præsignis, & uncis
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.

*Quin & Eusebius lib.12. præparat. Euang. Platonicam fabulam de concubitu* πόρου καὶ πενίας, *ex quo natus est* ἔρως *allegoricè ad serpẽtis Euam decipientis historiam refert: Sic enim Plato in Symposio scribit:* ὅτε ἐγένετο ἡ ἀφροδίτη, ἑστιῶντο οἱ θεοὶ οἵ τε ἄλλοι καὶ ὁ τῆς μήτιδος ὑιὸς Πόρος. ἐπειδὴ δὲ ἐδείπνησαν, προσαιτήσουσα οἷον δὴ εὐωχίας οὔσης ἀφίκετο ἡ πενία καὶ ἦν περὶ τὰς θύρας. ὁ οὖν Πόρος μεθυσθεὶς τοῦ νέκταρος (οἶνος γὰρ οὔπω ἦν) εἰς τὸν τοῦ διὸς κῆπον εἰσελθὼν βεβαρημένος εὗδεν. ἡ οὖν πενία ἐπιβουλεύουσα διὰ τὴν αὐτῆς ἀπορίαν παιδίον ποιήσασθαι ἐκ τοῦ πόρου, κατακλίνεταί τε παρ' αὐτῷ καὶ ἐκύησε τὸν ἔρωτα. ἅτε οὖν πόρου καὶ πενίας ὑιὸς ὢν ὁ ἔρως, ἐν τοιαύτῃ τύχῃ καθέστηκε. πρῶτον μὲν πένης ἀεὶ ἐστὶ καὶ σκληρός, καὶ αὐχμηρὸς καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἄοικος, χαμαιπετὴς ἀεὶ ὢν καὶ ἄστρωτος, ἐπὶ θύραις καὶ ἐν ὁ-

δοῖς

ὁδοῖς ὑπαίθριος κοιμώμενος, τὴν δὲ μητρὸς φύσιν ἔχων, ἀεὶ ἐνδείᾳ ξύνοικος· κατὰ δὲ αὐτὸν πατέρα, ἐπίβουλός ἐστι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ τοῖς καλοῖς, θηρευτὴς δεινός, ἀεί τινας πλέκων μηχανάς, δεινὸς γόης, καὶ φαρμακεὺς καὶ σοφιστής, καὶ οὔτε ὡς ἀθάνατος πέφυκεν, οὔτε ὡς θνητός. *Hic igitur insidiator, hic venator, hic præstigiator, hic veneficus, hic sophista serpens peccati pater fuit: & hominem ipsum ex locuplete Craso pauperrimum Irum fecit, ac nudum squalidumq́ sub dio exposuit: & sic per oculorum sensum tanquam cupiditatis fenestram primò peccatum introÿt. Illud nimirum poëtæ Græci fuit,*

ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλετ' ἔρωτα:

*& illud Latini:*

*Vt uidi, ut perÿ, ut me malus abstulit error?*

*At dices, tantúmne mali est in pomi esu? itáne vnius mali gratia, æterna bona amitti verum est?*

*——Tantæ'ne animis cœlestibus iræ?*

*Verumenimuerò in pomo nulla tantæ miseriæ causa est: sed aliæ sunt longè maiores & grauiores: eæq́ interiores. Primũ enim quantum illud peccatum fuit, quòd primi parentes interdictum Domini Dei sui tanto con-*

*temptu violare ausi sunt? Accedit incredulitas & diffidentia de bona Dei voluntate erga se dubitans. Adde idolatriam, diaboli mendacia verbo Dei præferentem. Adde calumniam Deo per diabolũ impositam ac ab ipsis falsò creditam, quasi Deus aliud dixerit, aliud senserit. Adde summam pro maximis beneficijs & donis in hominem collatis ingratitudinem. His omnibus tãquam cumulus accedit ambitio & superbia intolerabilis, qua honorem diuinum appetentes è summa gloria in extrema ignominiam deturbati sunt. Hæc interiora mala, externa ad vltimũ violatio in mandendo vetito pomo secuta est: Atq; hæc Adamici peccati forma & natura fuit. Sequuntur eius effectus. Vt enim peccatum infiniti boni violatio fuit, ita infinitæ propemodum pœnæ idipsum secutæ sunt, nuditas primum, deinde accusatio conscientiæ, deniq; iudicium. Nam cum gustassent de pomo vetito, statim se nudos agnouerunt, hoc est, se peccasse deprahenderunt. Nuditas enim illa nihil aliud est quàm priuatio cùm lucis in mente, tùm rectitudinis in voluntate. Et hæc fuit maxima capitis diminutio, Amissio scilicet libertatis,*

*bertatis, captiuitas diaboli, & seruitus corruptioni obnoxia. Hîc enim & finis & forma humanæ naturæ periit: hîc imago Dei amissa, hîc hortus, hîc dominium in animalia perditum est: per hanc fenestram morbi & omnis generis calamitates introierunt:*

His nos primæ malis oneras pater. —

*Postquam igitur se nudos esse animaduerterunt, ad contegẽdam suam nuditatem subligacula seu rhenones ex ficulnis foliis sibi texere instituerunt. Egregium uerò consilium & reuera (ut prouerbio dici solet) ficulnum auxilium: quo deinceps omnes Adami posteri ad peccati maculas occultandas, & delicta sua vel dissimulanda vel verborũ speciosis tergiuersationibus & excusationibus extenuanda uti consueuerunt. Sed quid interea ficulnum illud maleq́; cohærens & fragile tegumentum prodest? num etiam interiores animi recessus tegere, & conscientiæ tormẽta arcere potest? Minimè uerò: Nam cum Dei Opt. Max. vocem in horto ad auram molliter & laneis pedibus incedẽtis auditu percepissent: repente illud poëtæ accidit:*

—Deus ecce, Deus: cui talia fanti

*Ante fores subitò non uultus, non color unus,*
*Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,*
*Et rabie fera corda tument.*

*Itaq; animo sic consternati in vicinum densum nemus se proripiunt, & è domini sui*
ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακού.,
*conspectu se suffurari conati sunt. Sed quæ de causa?*

*—Quia diri conscia facti*
*Mens habet attonitos & surdo uerbere cædit,*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum.*
*Pœna autem uehemens, ac multò sæuior illis,*
*Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,*
*Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.*

*Conscientia enim, vt in prouerbio est, mille testes: & præsertim vbi in eum peccatur, quem nihil latet. Nam primos parentes*

*—Maior imago*
*Humana turbat pauidos, cogitq; fateri.*

*Nec verò immeritò. Nā ex primæ legis, qua erga Deum obedientia sancita erat, testimonio sic secum haud dubiè ratiocinabantur, seq́ue ipsi hoc iudicio dianoëtico condemnabant:*

*Si de probibito fructu comederitis & legem Dei migraueritis: morte moriemini. Hoc enim decretum diuinæ iustitiæ immutabile est, ut inobedientes pereant.*
*At nos turpiter Dei nostri legem migrauimus, & de uetito fru-*

*to fructu gustauimus.*

*Nobis itaq; morte haud dubiè pereundum est.*

*Hoc igitur primùm consciētiæ testimonium, hic primus testis domesticus καὶ οἴκοθεν ὁ μάρτυς: hoc rationis dictamen, hæc legis συντήρησις, hoc deniq; præiudicium fuit. Sed longè maius magisq; horrendum iudicium restat, in quo iudex sedet summus omnium rerum conditor: ad cuius iudicij iustitiam intelligendam, cognitionem primò, postea sententiam & executionem perpendere necesse est. Num igitur ἐρήμην δίκην Deus iudicat? indictaq; & nondum cognita causa condemnat? Minimè verò: imò non solum ipsos qui noxiam nocuerunt, sed & autorem noxæ & suasorem serpētem ad se uocat: omnium excusationes & apologias audit. Adamus igitur primò de fuga interrogatus, causam eius in suam nuditatem confert: seq; de pomo interdicto gustasse confitetur impulsu mulieris, quam Deus ipsi adiunxisset. Ita è tribus gradibus, qui in iudicio accusatis ad resistēdum dantur, nullus Adamo placuit. Nec enim vel factum ipsum negare, vel vim & nomen facti eludere, vel factum vt rectum aut concedendum condonandumq; defende* Iudicium.

*re potuit: ad causæ translationem decurrere & Deum ipsum propemodũ vt causam mali accusare maluit, quòd is talem mulierem ei adiunxerit, cuius suasu in peccatum impelleretur. Sed in Deum nulla calumnia cadit: itaq; is mulierẽ accusare incepit: illa verò Adami sophisticam secuta, eius exemplo culpam sua apologia in serpentem conijcit. Benè igitur res habet: habemus confitentes reos. Cùm itaq; cõfessus pro iudicato sit, quia (vt I.C. Paulus ait in l.i. De confeßis) quodãmodo sua sentẽtia damnatur: quodnam officium iudicis est, nisi vt condemnet? Nam vt iuris regula habet: in cõfessum nullæ sunt partes iudicis, nisi in condemnando. l. proinde. 25. Ad l. Aquil. l. j ca. C. de confeß. Deus*
Maledictio. *itaq; Opt. Max. autorem istius mali suasoremq; serpentem primò condemnat. Neq; enim lex æquior vlla est, ait poëta,*

Quàm necis autores arte perire sua.

*& iureconsultorum quoq; sententia, consilium fraudulẽtum puniri debet. l. consilij. 47. De reg. iur. Itaq; quoniam fecisti istud serpens, ait Iehoua, maledictus eris inter omnes bestias & omnes animantes terrestres: supra pectus repes & puluerem vorabis quamdiu viues:*

*uiues: & inimicitias ponam inter te & mulierem. Hæc igitur serpentis condemnatio, hæc tam horribilis sententia quadruplex est. Prima enim pœna est in æterna meledictione & nunquam desitura ipsius detestatione. Altera est quòd super pectus ingreditur: hoc est, quòd pauore animi inenarrabili & trepidatione abiectissima censorium illum diem expectat: quo unà cum impijs in horrendos, eosq; æternos cruciatus est abijciendus. Tertia est quòd nec*

— Ambrosia satur est, nec nectare uiuit:

*sed huius mundi luto, & fecibus terrenis se ingurgitat: omnes opes & regna deuorat, voluptatis ac omnium scelerum imperium tenet. Quarta est quòd tandem illi per semen mulieris caput conterendum sit. Et sic hodieq; illud ἄσπονδον & vetus dissidium inter serpentem & hominem durat, durabitq; donec meminerimus illius inauspicati pomi. Et eleganter poëta ad pugnam pastores hortatur, cùm ait,*

—Cape saxa manu, cape robora pastor,
Tollentemq; minas & sibila colla tumentem
Deijce.

*Atq; hæ diræ in autorem peccati serpentem*

*fuerunt. At Iehoua ad Euam conuersus: Multiplicabo, ait, ærumnas tuas, vt cũ dolore parias & mariti tui imperio pareas. Ad Adamum deniq; : Quoniam morem uxori tuæ gessisti, ait, & de pomo prohibito comedisti, maledicta esto terra propter te. Labore manuum tuarum quæres victum tota vita tua: Terra autem carduos & sentes tibi producet. Vesceris herbis terræ nascentibus: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram vnde sumptus es. Nam puluis es & in puluerem reuerteris. Euæ itaque pœna doloribus partus & imperio mariti continetur. Et sanè illa apud poëtam Græcum ait se malle τρὶς πὰρ' ἀσπίδα στῆναι ἢ ἅπαξ τεκεῖν: & D. Paulus virum caput vxoris nominat. At Adamo labor & sudor propositus est & cum terræ monstris lucta perpetua. Nam (vt Plinius tanquam illam Iehouæ maledictionem inaudisset, ait) rubi pessima & execranda res, sese multiplicant ita, vt curuati gracilitate simul & proceritate nimia, defigant rursus in terram capita, iterũq; nascatur ex sese, repleturi omnia nisi resistat cultura, prorsus vt possint videri homines terræ causa geniti. Itaq; vt poëta canit,*

Mox

*Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos*
*Esset rubigo, segnisq́; horreret in aruis*
*Carduus: intereunt segetes, subit aspera sylua,*
*Lappaq́; tribuliq́;: interq́; nitentia culta*
*Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.*

*Serpens videlicet Poëtarum ille Prometheus fuit, qui cum ignem à Ioue occultatum ferula subduxisset, hominibusq́; distribuisset: Iupiter iratus, viuendi rationem laboris ac doloris expertem occultasse dicitur.*

*Pandoræ quoq; pyxis hæc fuit, ex qua Adami Epimethei stolida curiositate aperta, omne genus malorum in orbem euolauit, sola spe in labris extremis hærente. Ex omnibus autem malis longè tristissima mors est, ex æquo vtriq; Adamo & Euæ proposita. Hinc Dei δυσπλάγχνου doloris plena illa vox, cùm ait, Ecce Adam similis nobis factus est. Quid enim tam dissimile est quam vita & mors? quid magis dissentaneum est quàm Immortalitas & Mortalitas? Sed fortasse iudicij istius diuini sonus inanis fuit, & terrendi potius quam damnandi causa institutus. Imò tam triste iudicium tristior quoq; executio consecuta est. Statim enim Deus Adamum cum sua coniuge ex Paradiso tanquam feu-* Eiectio à Paradiso.

*do eiecit, hoc est, ex meliore statu vitæ in exilium & huius mundi elementa minus felicia deturbauit. Hæc nimirum media capitis diminutio, Ciuitatis scilicet amißio, fuit. Haben das Burgerrecht des Paradiß verloren. Ne autem hostliminio aliquo ad patrias sedes redire possent, Angelum Deus apposuit custodem & flāmantem versatilemq́; gladium appendit, qui viam quæ ad arborem vitæ ducebat, toti posteritati intercluderet. Lex videlicet ille gladius est, qui ad vitam ingredi non permittit, & vindicibus flammis inobedientes arcet. Sic itaq́; non tātùm homo, sed etiam tota rerum natura per primorum parentum lapsum & secutā maledictionem, vanitati obnoxia facta est, & vt D. Paulus ad Rom. 8. loquitur,* τῇ ματαιότητι ὑπετάγη. *Etsi enim interea aliud ex alio propagans, speciebus vicißim cadentibus ac renascentibus, genus tuetur ne totum intercidat: & sic immortalitatem quandam meditatur: non tamen assequitur, quòd vtcunq; contendit efficere. Itaq́; vt D. Paulus ibidem ait:* πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ-

αὐτοῖς

αὐτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν: *Sed benè se habet, quod ille tam deploratus status, perpetuus futurus non est. Itaq; in spe restitutionis* Restitutio *in integrum & D. Paulus acquiescit & no-* in integrum. *bis in eadem acquiescendum esse suo exemplo docuit. Etsi enim ex Dei familia eiecti, paternis laribus in hac quidem vita carere cogimur:* υἱοθεσίαν *tamen & adoptionem cũ eodem expectamus: Quin & ipsa rerum uniuersitas illam nostram reuelationem sollicitè & anxiè expectat.* ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ. *Huius spei fundamentum in Mose hîc iactum est, apud quem Deus serpenti maledicens, arcanam promißionem edidit de venturo semine mulieris, per quod deleto peccato & morte, iustitia & vita æterna restitueretur. Sic enim ait. Inimicitias ponam inter te & mulierem & inter semen tuum & inter semen eius. Ipsum conteret tibi caput & tu insidiaberis calcaneo eius. Hæc igitur pro tristi illa imaginis diuinæ per peccatum amißione: læta est*

*vita*

*vitæ & iustitiæ per Christum redintegratiò & in integrum restitutio. Per Christum inquam θεάνθρωπον, verum Deum & verum hominem. Cùm enim Moses mulieris semen appellat, naturam haud dubiè humanã designare vult: cùm verò futurùm ait vt illud semẽ serpenti caput conterat, diuinã eiusdẽ naturam describit. Nam diaboli potentiam elidere, peccatum tollere, mortem morte afficere: non nisi diuinæ naturæ opus est. Hic itaq; locus unus est ex præcipuis Adamicæ historiæ partibus. Hæc enim tam læta & naturæ hominum antea ignota promissio, initiũ est, nouæ ecclesiæ pelle agni (qua primi parentes à Deo induti fuerunt) vestitæ & ad illud promissi seminis Euangelium alligatæ: Imò totius sacræ scripturæ fons est, ex quo nõ modo ad patres Abrahamum, Isaacum, Iacobum repetitio: sed tot tamq; diuini diuinorum hominum, Prophetarum & Apostolorum cõmentarij & conciones redundarunt. Hic angularis veteris & noui testamenti lapis est: hic cumulus testimoniorũ prophetiarumq; omnium est. At licet hic fons tã clarus, tamq; perspicuus sit: inuenti tamẽ sunt, qui illum obturare & obscurare conati sint:*

*Obscu-*

*Obscurare verò? imò etiam filio Dei debitũ honorem, vel extenuare, vel aliò transferre conati sunt. Cùm enim apud Mosen substantiuum Sera. i. semen & adiectiuum hu. i. ipsum genere masculino conueniant: audaces quidam homines, (ipsa conteret) vertetunt: quasi non hu, sed hi. i. ipsa legeretur. Sed ad eiusmodi sophisticam deprehendendã profligandamq; fontes ipsi adeundi sunt, & cognitio linguæ sanctæ in primis optanda est. Verùm vt ad lætam illam Euangelij vocem redeamus, quæ in paradiso primum edita, vna & eadem postea fuit & erit usq; ad mundi finem: respondet illa ad ἀδιάλυτον illud humano ingenio legis iudicium. Ad illud enim ἀκριβοδίκαιον, hæc Euangelij ἐπιείκεια sic respondet:*

Iustitia Dei est ut inobedientes pereant, nisi satisfiat iustitiæ Dei per deprecationem & λύτρον Filij Dei.
At Filius Dei satisfecit iusticiæ Dei per deprecationem & λύτρον suum.
Inobedientes ergo non peribunt: sed conuertentur & uiuent.

*Adamus igitur è paradiso eiectus, ex vxore sua duos filios sustulit. Primò Cainum, quẽ sic appellauit quasi Latinè diceres Possido-* Filij Adami.

*ſidonium. Putabat enim ſe eum virum genuiſſe & poßidere, qui morte ſublata omnia in integrum eſſet reſtituturus. Alterum Abelũ nominauit, quaſi diceres Vanum. Sic enim hodieq́; inter Adami poſteros agitur, vt quos Deus præ cæteris diligit, ydẽ in mundo omnium contemptißimi vilißimiq́; habeãtur. Sed quónam vitæ genus ſecuti ſunt illi Adami filij? Abelus paſtoritiam vitam elegit: Cainus agricola euaſit. Vtraq́; videlicet, Ariſtotelis etiam teſtimonio, antiquiſſima vitæ ratio fuit & naturæ maximè conueniens: quarum illa omniũ otioſißima eſt. Victus enim ex animalibus manſuetis ſine ullo negotio etiam otiantibus acquiritur. Hæc verò teſtimonio Xenophontis & Catonis omnium laudatißima eſt. Et Xenophon quidem in œconomico ſic ait:* τῆς γεωργίας οὐδ' οἱ πάνυ μακάριοι δύνανται ἀπέχεσθαι. ἔοικε γὰρ ἡ ἐπιμέλεια αὐτῆς εἶναι ἅμα τε ἡδυπάθειά τις καὶ οἴκου αὔξησις καὶ σωμάτων ἄσκησις, εἰς τὸ δύνασθαι ὅσα ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ προσήκει. πρῶτον μὲν γὰρ ἀφ' ὧν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, ταῦτα ἡ γῆ φέρει ἐργαζομένοις· καὶ ἀφ' ὧν τοίνυν ἡδυπαθοῦσι, προσέτι φέρει. ἔπειτα δὲ ὅσα κοσμοῦσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ οἷς αὐτοὶ κοσμοῦνται

του καὶ ταῦτα μετὰ ἡδίστων ὀσμῶν καὶ θεαμάτων παρέχει. ἔπειτα δὲ ὄψα πολλὰ τὰ μὲν φύει, τὰ δὲ τρέφει. καὶ γὰρ ἡ προβατευτικὴ τέχνη συνῆπται τῇ γεωργίᾳ, ὥστε ἔχειν καὶ θεοὺς ἐξαρέσκεσθαι θύοντας, καὶ αὐτοὺς χρῆσθαι. *Cato verò: Virum bonum cum laudabant (ait) ita laudabant, Bonum agricolam, bonumq́ colonũ. Amplißimè laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Ex agricolis enim & viri fortißimi & milites strenuißimi gignũtur: maximeq́ pius quæstus stabilißimusq́ consequitur, minimeq́ inuidiosus: minimeq́ malè cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.*

O' *fortunatos igitur. sua si bona norint,* (ait Virgil.)
*Agricolas? quibus ipsa procul discordibus armis*
*Fundit humo facilem uictum iustißima tellus.*
*Hic secura quies & nescia fallere uita,*
*Diues opum uariarum hîc latis otia fundis*
*Speluncæ, uiuiq́ lacus: hîc frigida Tempe,*
*Mugitusq́ boum, mollesq́ sub arbore somni*
*Non absunt: illis saltus ac lustra ferarum,*
*Et patiens operum, paruaq́ assueta iuuentus,*
*Sacra Deûm, sanctiq́ patres: extrema per illos*
*Iustitia excedens terris uestigia fecit.*
*Agricola incuruo terram dimouit aratro.*
*Hinc anni labor: hinc patriam, paruosq́ nepotes*
*Sustinet, hinc armenta boum, meritosq́ iuuencos*
*Nec requies quin aut pomis exuberet annus,*

*Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:*
*Prouentuq; oneret sulcos atq; horrea uincat.*
*Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis:*
*Glande sues læti redeunt: dant arbuta syluæ:*
*Et uarios ponit fœtus autumnus & altè*
*Mitis in apricis coquitur uindemia saxis.*

*Et Horatius in Epodis:*

*Beatus ille, qui procul negotijs,*
*Vt prisca gens mortalium*
*Paterna rura bobus exercet suis.*

Sacrificium fratrum. *Sed vt consequentia videamus: Accidit interea vt Cain de primitijs frugum suarum, Abel verò de primogenitis gregis sui Deo hostias offerrent: & repudiato Caini hypocritæ sacrificio, Deus Abelis sacra placido benignoq; vultu respiceret, & sacrificium eius cælitus accenderet. Deus enim statim ab initio mundi non solùm doctrinam de generis humani per Christum reconciliatione proposuit: sed cerimoniam publicam sacrificij, fidem promissionis testificantem adiunxit. Cur autem Abelis sacrificium Deo acceptum fuerit, causam Apostolus 11. ad Hebræos ex fide repetit. Sic enim ait:* πίστει πλείονα θυσίαν ἄβελ παρὰ κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ, δι' ἧς ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖ.

λᾶ. *Cain itaq; Hypocrita & omnium hypocritarum pater fuit, qui suis operibus, externaq; pompa & sacrificiorum splendore confisi fidei expertes & inanes sunt. Quamobrem repulsæ impatiens Cain, iracūdiæ flammas concepit & fratrem è medio tollere constituit. Cùm Remus Romuli fratris mœnia transiliisset, à fratre occisus est: vnde rectè Poëta,* Fratricidiū.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

*Idem de his duobus fratribus dicere possis,*

Fraterno primi maduerunt sanguine fratres.

*Vsqueadeò, vt Ouidius ait,*

—Fratrum quoq; gratia rara est.

*Sed totius historiæ antecedentia & consequentia, seu causas & effecta consideremus. Quænam igitur Cainici fratricidij causæ fuerunt? Ira, inquam Caini, ex repulsa diuina & superbia (quam ius primogenituræ aluerat) orta. Nam, vt poeta de Argonautis canit,*

—Tu sola animos, mentemq; peruris
Gloria —.

*Hæc enim flamma mortalium animos vehementer exurit, in primisq; excellentium, quos cò plerunq; adducit, vt eos iustitiæ & pietatis capiat obliuio. Iram autem illam fla*

*grantem, comitata etiam est inuidia & æmulatio, qua fratri honorem à Deo tributũ inuidebat, sibiq; vendicare cupiebat, vsqueadeò vt hanc inuidentiæ flammam corporis externo gestu non prodere non potuerit. Nã vt Moses ait, ob honorem illum fratris, statim conciderunt vultus Caini: qui gestus liuidorum hypocritarum est, qualem in philosophis illis ærumnosis describit Satyricus, qui apparent,*

Obstipo capite & figentes lumine terram,
Murmura cum secum & rabiosa silentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantur uerba labello.

*Vsqueadeò difficile est crimen non prodere vultu: & tanta impotẽtia iracundiæ est: ad quam reprimendam diuina quoq; voce opus fuit, & nominatim hîc summa Ethicæ doctrinæ de moderandis affectibus comprahensa est. Cur iratus es, dicit omnipotens ille Deus Caino, & cur deiecisti oculos tuos? Nónne si benè feceris, gratiosus eris? sin improbus fueris, nónne peccatum tuum cubabit, donec id reueletur? Affectus eius aduersus te erit, sed tu dominaberis illi. Eodem ferè modo, iisdemq; verbis Cicero ait, Ratio præsit, appetitus obtemperet. Nam omnis vetus nouaq;*

*uaq; philosophia, & omnis diuina atq; humana lex (vt præclarè Pontanus de Obedientia ait) in hoc vno maximè laborat & tota nititur, vt motus animi rationi pareāt, ne veluti incustoditi & passim vagantes liberè exultent. Vbi enim appetitus à ratione digressus, lōgius à signis processerit: imperij, moderationisq; eius oblitus atq; impatiens, præceps eò fertur, vnde regrediendi rarò sit potestas. Nam cùm voluntatem secum ipse rapiat, necesse est vt turpia atq; iniqua & eligantur & agantur à nobis: & contra diuinam imaginem maximè peccetur. Quod in Caino in primis apparuit. Sed operæprecium sit audire, quomodo tam impotentis iræ flāmam, fratris scelerata oppressione exprompserit & qua simulatione amoris, qualiq; hypocrisi, eum in periculum adduxerit. Nam amicitiæ mentione facilè decipiuntur homines, nullumq; certius exitiū est, quàm quod sub beneuolentiæ simulatione latet. Itaq; cū Cainus Abelem alloqueretur, hoc est, vt verisimile est, blandis fictisq; sermonibus beneuolentiam simularet: & vterq; fortè fortuna in campo, longè è conspectu parentum esset: occiditur nihil mali suspicans à fratre*

*Caino Abelus. Occiso Abelo, Deus (quem nihil latet) statim quærit ex Caino vbi frater eius Abelus sit? At is Deum cæcum surdumq́; existimans, se nescire simulat & impia audacia vel potius contumacia respondet, Num ego custos fratris mei sum? At frustrà latêre Deum impij conantur: & sanguis iusti Abelis innocenter fusus de terra clamat. Itaq́; Iehouæ illa ad Cainum accusatio horribilis depromitur: Quid fecisti? sanguis fratris tui edit ad me clamorem de terra. In Mose est, vox sanguinum fratris tui: qua circumstantia scelus homicidij grauius efficitur. Nam præter imaginem diuinam violatam, etiam spes sanguinis seu prolis cũ Abelo per fratrem sublata est, et in vno homine multi homines occisi sunt: vt Hebræi hîc interpretantur. Et sic Latinis per Metonymiam causæ pro effectu, sanguis pro semine & liberis accipitur: Vt cum Virgilius inquit:*

Genus alto à sanguine regum.

*Et Cicero de suis maioribus loquens, ait tales fuisse, qualis ipse sit illorũ sanguine creatus. Hîc itaq́; vox illa sanguinum Abelis, quasi multiplicatus interemptæ sobolis clamor intelligendus est: ac præterea argumentum*

tum

*tum immortalitatis animorum hinc ſubducendum, quod pro ſuo diuino ſpiritu D. Paulus quoq; animaduertit, vt ſuprà demonſtrauimus, dum ait, ὁ Ἄβελ διὰ τῆς πίστεως, ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖ. Sed huius tam atrocis criminis quænam vindicta fuit? Duplex fuit, inquã, Maledictio videlicet terræ & Excommunicatio ſeu ex eccleſia piorum eiectio. Hæc enim Iehouæ acerba in parricidam ſententia fuit. Nũc maledictus eſto à terra, quæ aperuit os ſuum vt ſuſciperet ſanguinem fratris tui è manu tua. Quando coles terram, non dabit amplius fructum ſuum tibi: vagaberis & errabis in terra. Hic nimirum tam atrocis ſceleris fructus fuit: hæc hypocritæ & parricidæ iuſta merces. Accedit deſperatio immanium ſcelerum comes indiuiduus. Nã perterritus & deſperans Caines ait Iehouæ: Maior eſt improbitas mea quàm vt remitti poſſit. Ecce eiecisti me hodie à facie terræ & à facie tua abſcondar, vagaborq; & errabo in terra, vt quicunq; inuenerit, occidat me. Hæc hypocritæ deſperantis vox, hic ſceleſti hominis vlulatus eſt, hæc de diuina miſericordia diffidentia. Iam verò apertè mentiris Caine, inquit ille Theologus, & Iehouæ*


*Deo tuo blaſphemam calumniam imponis, cùm peccatum tuum diuina miſericordia maius facis. Sed Deus Cainum miſeratus ſeptupli pœna occidi vetuit: & ſignum illi addidit, ne ſi quis in eum incideret, eum perimeret. Quale verò illud ſignum fuerit, quo Iehoua Cainum parricidam circumdederit, explicat Iuſtinianus in Nouella conſtitutione IX.* τρόμον *enim* τοῦ Κάϊν *appellat. Si non omnia hæc, ait, obſeruauero, omnibus incommodis ero expoſitus, tam hîc quàm in futuro ſeculo, in horrendo iudicio magni Domini mei & ſeruatoris noſtri IESV CHRISTI, habeboq́ partem cum Iuda & lepram Giezi & tremorem Cain. Baſilius quoq; in concione contra ebrioſos, eodem reſpexit, cum ait,* οἰνοφλύκτης τὴν κατάραν τοῦ Κάϊν ἐφ' ἑαυτὸν ἐπισπάζει, τρέμων καὶ περιφερόμενος διὰ παντὸς βίου. *Conſcientiæ videlicet terror Cainũ vexabat: malæq́ cogitationes eum terrebãt, agitabantq́ ita vt non modò ſine cura quieſcere, ſed ne reſpirare quidẽ ſine metu poſſet. Hæ ſunt impijs aſsiduæ domeſticæq́ furiæ, quæ dies nocteſq́ interfectorum pœnas à parricidis repetant. Atq; ex hac hiſtoria Caini, veriſimile eſt ritum expiandi homi-*

*cidas*

*cidas ad Græcos dimanasse. Vt enim parricidam Cainum Iehoua primò diris defixit: postea à sua facie eum eiecit: tandemq́; signum tremoris illi apposuit: ita apud Græcos is qui cædem commiserat certis imprecationibus deuouebatur, & à consuetudine aliorum exclusus, signa reatus in vestitu gerebat. Sic Orestes, sic Peleus, sic Antilochus, sic Adrastus exules in Græcia discurrebant, diris confixi & hominum consortio priuati & signis reatus circumdati. Nec verò omittenda est pœna illa qua in septuplũ is puniri debeat, qui Cainum occiderit: Ex illa enim septupli vindicta intelligere licet, coram Iehoua detestabile scelus esse homicidium. Alij autem per septenarium, perfectam pœnam intelligunt: alij septem generationes intelligunt, quibus victurus sit Caini homicida ita vt mori nõ liceat: & sic malum illud Imperatori Adriano, vt summum, imprecatus est Seuerianus, vt Dion & Xiphilinus scribunt. Atq; hæc de primorum fratrum certaminibus & duplicis Ecclesiæ origine. Nam primam hominum generationem, σχίσμα statim secutum est: vnde duæ ecclesiæ duorum fratrum vestigijs inhærentes, factæ sunt: una orthodo-* Duplex Ecclesia.

*xa, altera hæretica. Illa filiorum lucis, hæc filiorũ tenebrarũ: illa pacifica, hæc sanguinaria: illa iusta, hæc ex Malo illo. Sic enim (vt 1. Ioan. 3. dicitur)* Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ: καὶ χάριν τίνος ἔσφαξεν αὐτόν; ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν. τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ δίκαια. *Reliqua historia quæ in Adamĩ vitam incurrit, in Mose breuis est. Primò autem narratur quomodo à Caini posteris artes inuentæ sint. Nam Christus apud Lucam cap. 16. ait,* οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι. *Filius itaq; Caini Henoch vrbes extruere docuit, primãq; vrbem à se nominauit. Posteri verò Caini ex Lamecho fuerunt Iabel, Iubal, Tubalcain, tres fratres cũ sorore Naëma. E quibus Iabel inuenit tentoria & fuit pater pastorum: Iubal reperit instrumenta Musica: Tubalcain excogitauit fabricas æris & ferri. Naëma vestes ex lana & lino prima fecisse dicitur, cùm antea pellibus animalium tegerentur. Hi videlicet nostri Panes, Apollines, Vulcani, Palladesq; fuerũt: quorum gloriam & ingenium multis seculis ante cognitum, Græci ad sua numina transtulerũt, quæ multis seculis postea*

*stea vixerunt. Vnde illorum puerilis vanitas clarissimè apparet. Deinceps Mors Adami & summa annorum, quibus vixit, à Mose recẽsentur. Nam cùm esset natus nongentos duodecim annos vitam cum morte commutauit. Tandem in illa Adami historia, eius posteri quoq; enumerantur vsq; ad Noam: quorum hæc est series & genealogia.* Mors Adami. Posteri Adami.




*Ex qua posteritate, quinq; præcipuè annotandi sunt, Lamech, Sethus, Enos, Enoch & Mathusalem. Lamech enim ex posteris Cain, septimus ab Adamo, primus bigamiam induxit contra legem Iehouæ connubialem. De Setho verò longior est historia apud Iosephum*

*ſephum lib.1.cap.3. Hic educatus, ait, vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectũ eſſet, diſcernere valeret: virtutis ſtudijs ſe totum dedidit, & cum vir optimus euaſiſſet, etiam nepotes ſui imitatores reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriã abſq; ſeditione incolebant, in perpetua fœlicitate vitam exegerunt, ſapientiamq; cœleſtium rerum atque ornatum animaduerterunt. Ne autem hæc inuenta ex hominum noticia dilaberẽtur & prius perirent quàm pernoſcerentur, cum Adamus vniuerſalem rerum interitum fore prædixiſſet, vnum incendio, diluuio alterum: excitarunt duas columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam: & vtriq; ſua inuenta inſcripſerunt: vt ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcẽdi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab ipſis dedicatam, quæ & noſtris temporibus extat in Syria. Hæc Ioſephus: ex cuius teſtimonio apparet ſummum ſtudium rerum cæleſtium in Sethi poſteritate fuiſſe & hanc auream mundi ætatem extitiſſe,*

—Quæ (ut Ouid. canit) uindice nullo

Sponte

*Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebat.*
*Pœna, metusq; aberant, nec uerba minantia fixo*
*Aere ligabantur, nec supplex turba timebat*
*Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.*

*Enos verò ita celebratur à Mose, vt primum videatur statuere eum qui nomine Iehouæ vsus sit: vt medium atq; argumentum precationis impetrãdæ idem illi fuerit, quòd nobis per Christum* μεσίτην *& sequestrem vnicum. Enochi autem septimi itidem ab Adamo hominis fidem D. Paulus ad Hebræos magnificè prædicat:* πίστει ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον· καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός. πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ. χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἔστι, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται. *Idem 44. Eccles. laudibus in cælum fertur: hoc amplius, eiusdem vaticinium à Iuda in epistola catholica citatur.* προεφήτευσε, *ait,* καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ ἀδὰμ ἐνὼχ, λέγων: ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν, ὧν ἠσέβησαν, καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν,

ρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ᾽ αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. *Quibus verbis amplißimum de vita æterna, animorum immortalitate & futuro iudicio testimonium nobis reliquit. Quin & ipse à Iehoua viuus in cœlum translatus, suo exemplo immortalitatem comprobauit: & hac sua μεταθέσει quibusdã coniecturã attulit de ætatibus mũdi. Vt .n. septimus ab Adamo Enoch, nõ est mortuus: ita septimo millenario beatam immortalitatem restituendam augurantur. Quòd verò ad Mathusalem attinet, est ille exemplum* μακροβίου *& longæui hominis. Vixit enim annos 969. & obijt ipso diluuij anno. Atq; hæc in illa Mosaica antiqtate de Adamo in publicas tabulas relata sunt. Superest vt ad extremum cõparationem Adami cum Christo ex D. Paulo instituamus. Is itaq; 1. Cor. 15. breuiter eos ita inter se confert.* ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτως καὶ ἐν τῷ χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται, *Item paulò pòst,* ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος, ἐξ οὐρανοῦ. οἷος ὁ χοϊκός, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί: καὶ οἷος ὁ ἐπουράνιος, τοιοῦτοι καὶ οἱ ἐπουράνιοι. *Sed ad Rom. 5. illa comparatio prolixius instituta est, & primò quidem similiter*

Comparatio Adami cum Christo.

militer, postea dissimiliter: ὁ ἀδὰμ, ait, ὅς ἐστι τύ-
πος τοῦ μέλλοντος. Nam in eo Christus &
Adamus conferuntur, quod vterque quod suum
est in suos propagauit: ille peccatum, hic ve-
rò gratiam. Sequuntur vtriusque dissimilitu-
dines. ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισ-
μα. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ
ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ
δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἰησοῦ χρι-
στοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε. καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς
ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα. τὸ μὲν γὰρ κρῖμα, ἐξ
ἑνὸς εἰς κατάκριμα. τὸ δὲ χάρισμα, ἐκ πολλῶν
παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς
παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑ-
νός: πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος
καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες,
ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς ἰησοῦ χριστοῦ.
Tandem redit ad superiorem breuem simili-
tudinem, quàm ὡς ἐν τύπῳ proposuerat: e-
amque distinctius per partes suas explicat. ἄρα
οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀν-
θρώπους, εἰς κατάκριμα: οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαι-
ώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς δικαίωσιν
ζωῆς. ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώ-
που ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, οὕτω καὶ
διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται

οἱ

*οἱ πολλοί. Vt itaq; hæc & superiora omnia in summam conferamus: Ille χοϊκὸς terrenus: hic ἐπουράνιος cælestis est: per illum παρακοὴ inobedientia, per hunc ὑπακοὴ obedientia: per illum peccatum, παράπτωμα: per hūc gratia, χάρισμα: per illum κρῖμα reatus: per hūc donum, δώρημα: per illum κατάκριμα condemnatio, per hunc δικαίωμα iustificatio: per illum θάνατος mors, per hunc ζωὴ vita:*


| | |
|---|---|
| χοϊκὸς | ἐπουράνιος. |
| παρακοή. | ὑπακοή. |
| παράπτωμα. | χάρισμα. |
| κρῖμα. | δώρημα. |
| κατάκριμα. | δικαίωμα. |
| θάνατος. | ζωή. |

*Deniq; ille creatus, hic creator: per illum peccatum peruasit in omnes, per hunc tollitur: ille imaginem diuinam amisit, hic eam interpolauit: in illo morimur omnes, in hoc reuiuiscimus: ille ficulno folio, hic agni pelle nos vestit: per illū ex paradiso eiecti sumus, per hunc restituimur: ille maledictus, hic benedictus est: ille à serpente delusus & spoliatus est: hic serpentem conculcauit & illi caput contriuit: ille ærumnas, dolores, miseriā, nobis attulit: hic gaudium, lætitiam, beatitudinem reposuit. Deniq; quod ille corrupit, hic*

*hic in integrum restituit: cui cùm æterno patre & Sp. Sãcto gloria & honor sit in æternũ.*

## LIBER II.

### *DE NOACHO.*



*Ost Adamum, primum humani generis parentem, iure meritißimo Noachum secundum parentem subijciemus. Quemadmodum enim Adamus primi mundi, qui ante vniuersalem illam terrarum illuuionem fuit, pater primus extitit: ita Noachus eius, qui post diluuium secutus est, sator meritò existimatur. De cuius virtutibus amplißimum præconium Ecclesiastici cap. 44. extat, vbi iustus & perfectus fuisse prædicatur: quod præconium Moses hîc ijsdem verbis prosequitur: cùm ait: Noah inuenit gratiam coram Deo: fuit enim vir iustus, perfectus in generationibus suis & ambulauit secundum Deum. Petrus verò epistolæ 2. capite 2. ὄγδοον δικαιοσύνης κήρυκα vocat. Sed lõgè amplißimum est D. Pauli elogium cap. 11. Hebr. de fide Noachi: πίστει χρηματισθεὶς Νῶε περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων, εὐλαβηθεὶς κατεσκεύασε κιβωτὸν εἰς σωτηρίαν τοῦ οἴκου αὐ-*

τοῦ. δι' ἧς κατέκρινε τὸν κόσμον, καὶ τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος. *In Noachi igitur historia tria in primis spectabimus. Diluuium, Lapsum Noæ & eiusdem posteros. Quòd igitur ad diluuium attinet,*

I. Diluuium. Causæ.

*causa illius à Mose ponitur in hominũ intemperantia & polluti per impiarum mulierum cõsortium matrimonij scelere. Nam cum homines cepissent multiplicari, viderunt filij Dei filias hominum, quòd pulchræ essent & acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. Hac re offensus Deus, cùm filij Dei (id est, pij ex Sethi posteris) ducerent filias hominum (id est impias ex Caini familia) tum diluuio genus hominũ perdere statuit. Ex hac enim sancti seminis cum profano impiarum sanguine permistione, enati sunt Gigantes, ad quorũ conspectum, vt Hebrææ vocis notatio indicat, homines trepidi conciderent: quiq; in alios imperium & autoritatẽ exercerent, & laudis gloriæq; auiditate flagrarent. Quibus verbis Moses Cyclopicam vitam describit, qualem Homerus Odyss. nona, in suo Polyphemo depinxit: quem sic loquentem introducit:*

νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας.

ὅς

ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι.
οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν
οὐδὲ θεῶν μακάρων.

*Item paulò pòst:*

τῶνδ᾽ ἀνδρῶν πειρήσομαι, οἵ τινές εἰσιν,
ἢ οἵγ᾽ ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,
ἠὲ φιλόξενοι καὶ σφὶν νόος ἐστὶ θεουδής.

*Sed illam Cyclopicam vitam nemo melius expreſsit quàm Chriſtus Matthæi 24. & Lucæ 17.* ἐν ταῖς ἡμέραις, *ait,* ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἦσαν τρώγοντες καὶ πίνοντες, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν. καὶ οὐκ ἔγνωσαν ἕως ἦλθεν ὁ κατακλυσμος καὶ ἦρεν ἅπαντας. *Libido igitur, intemperantiaq; gulæ & coniuncta cum his vitijs ſecuritas, diluuij cauſa fuit, Deoq; triſtiſsimam de hominum malitia querelã, quàm Moſes hic ponit, expreſsit: pœnituit enim Deum quòd hominem feciſſet, cùm cor hominis & eius cogitationes omnes malæ eſſent. Sed tamen pro infinita ſua miſericordia lento gradu Iehoua ad vindictam procedit.* χρόνια γὰρ τὰ τῶν θεῶν, *vt Euripides ait: Itaq; ad reſipiſcendũ centum & viginti annos Deus hominibus dedit: ſed cũ nihilo meliores euaderent, cataclyſmum illum terri-*

*bilem induxit & omnes aquarum inundatione submersit. Itaq; ut Ouid. canit:*

Descriptio diluuij.

*Fit fragor & densi funduntur ab æthere nimbi,*
*Sternuntur segetes & deplorata colonis*
*Vota iacent, longiq; perit labor irritus anni.*
*Expatiata ruunt per apertos flumina campos,*
*Cumq; satis arbusta simul, pecudesq; uirosq;*
*Tectaq; cumq; suis rapiunt penetralia sacris.*
*Si qua domus mansit, potuitq; resistere tanto*
*Indeiecta malo: culmen tamen altior huius*
*Vnda tegit, pressæq; latent sub gurgite turres.*
*Iamq; mare & tellus nullum discrimen habebant,*
*Omnia pontus erat, deerant quoq; litora ponto.*
*Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca,*
*Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.*
*Ille super segetes, aut mersæ culmina uillæ*
*Nauigat, hic summa piscem deprendit in ulmo,*
*Figitur in uiridi (sic sors tulit) anchora prato,*
*Aut subiecta tegunt curuæ uineta carinæ,*
*Et modò qua graciles gramen carpsére capellæ,*
*Nunc ibi deformes ponunt sua corpora Phocæ:*
*Mirantur sub aqua lucos, urbesq;, domosq;*
*Nereides, syluasq; tenent delphines & aliis*
*Incursant ramis, agitataq; robora pulsant.*
*Nat lupus inter oues, fuluos uehit unda leones,*
*Vnda uehit tigres, nec uires fulminis apro,*
*Crura nec ablato prosunt uelocia ceruo:*
*Quæsitisq; diu terris ubi sistere possit.*
*In mare lassatis uolucris uaga decidit alis.*
*Obruerat tumulos immensa licentia ponti,*

*Pulsa-*

*Pulsabantq́ noui montana cacumina fluctus:*
*Maxima pars unda rapitur, quibus unda pepercit,*
*Illos longa domant inopi ieiunia uictu.*

*Atq́ in hac tam miserabili, horrendaq́ clade, quaeret aliquis vbi Noachus noster interea fuerit & quamdiu illa restagnãtis aquae furiosa tempestas durauerit? Et quidem quod ad Noachum, illiusq́ vxorem Tyteam, vt Berosus vocat, & eius tres filios Semum, Chamum, Iapetum: vxoresq́ eorundem tres Pandoram, Noëlam, Noëglam attinet: iussit Iehoua ante diluuium, vt Noachus arcã fabricaret, quam vnà cum tota familia ingressus semina humani generis conseruaret: & tanquam verus Deucalion (cui Graeci nomen imposuerunt ἀπὸ τοῦ δεύκειν, ὃ ἐστι φροντίζειν τοῦ λαοῦ) posteritatem populi propagaret. In Mose verò causae illius arcae seu nauiculae disertè describuntur omnes. Nam primò architectus & faber est ipse Noachus. Materia est in pice & ligno pini vel abietis. Hebraeis Gopher: quòd Rabini aiunt esse genus abietis leuissimum & in aquis maximè fluitans, nec vnquam putrescens. Chaldaeus paraphrastes cedri speciem facit. Hieronymus vertit lignum leuigatum. Forma est*

Arca Noë: & eius causa.

*ex ipsa idea mentis diuinæ sumpta & à Iehoua Geometrica scenographia descripta: ex cuius ignoratione uariæ & impiæ opiniones exortæ sunt. Itaq; cum Buteo locum illum eruditè expediuerit, legenda sunt quæ ille acutè & artificiosè de hac re scripsit. In Mose quidem longitudo, latitudo & altitudo eius nominatim exprimitur. Facies tibi arcam, inquit Iehoua, ex lignis Gopher. Habitatiunculas seu nidulos (vt in Hebræo est) fabricabis in illa & pice illines intus forisq;. Longitudinem facies CCC. cubitorũ. Latitudinem L. Altitudinem XXX. Fenestrã facies in summo altitudine vnius cubiti: & in latus eius immittes ostium. Faciesq; trium tabulatorum contignationes, seu τριστέγα, vnam in imo, alteram in medio, tertiam in summo. Finis autẽ à Deo subiectus est: cùm ait, Ingredieris in illam arcam tu & tua familia, vt ab inundatione aquarum conserueris & omnium viuentium animaq; præditorum (volucrum scilicet, pecudum, & reptilium) semina tuearis. Quod autem ad tẽpus diluuij attinet, cepit id anno cõditi mundi 1656. cum Noachus inchoasset annum sexcentesimum: vt præter Mosen, Berosus testatur,*

Tempus diluuij.

*tur, qui annum ætatis Noachi 950: cum anno 350. à fine diluuij coniungit. Subductis igitur 350. annis, à 950: reliqui sunt sexcenti anni vitæ Noachi, sub quorum finem diluuium cessasse Berosus statuit: eadem prorsus ratione, qua Moses initio anni sexcentesimi primi ætatis Noachi, terrā exiccatam esse scribit. Ingressus autem est arcam Noachus cum sua familia, die decimoseptimo mensis secundi, & rursus die eiusdem mensis XXVII. post anni spacium egressus est. Id Iosephus refert ad mensem Marhesuan, qui in ordine secundus est à Thisri. Ac verisimile est, mensem illum in sacris literis Bul dictū esse, quasi Mabul, id est diluuiū seu inundatio, propterea quòd isto mense ceperit & post annum rursus desierit diluuium. Porrò mensem Thisri secūdum Hebræos ad æquinoctium Autumni pertinere, certum est. Quod autē ad mensium illorum & totius temporis, quo Noachus in arca fuit, rationem attinet, congruit illa mirificè ad anni solaris periodum. Numerus enim mensium & dierum in hac Mosis narratione, ostendit annum solarem complexum esse XII. menses lunares & dies XI. Nam ad menses lunares synodicos XII, hoc*

 est,

*est, ad CCCLIIII. dies, addendi sunt XI. dies, qui nominantur Epactæ, à XVII. die secundi mensis, usq; ad XXVII. inclusiuè. Ita constituetur iusta anni solaris quantitas, videlicet dierum CCCLXV. Ideò dicitur Noachus egressus ex arca anno ætatis suæ CI. seu anno mundi 1657. Noachus itaq; ex tanto periculo incolumis, grati animi significationẽ consecrauit & ex animantibus puris quæ (præter impurorum singula paria) in arcā sumpsit, Iehouæ holocaustum obtulit. Ideò enim pura septena, hoc est tria paria & unum sumere iussus est, vt post diluuium, septimum Iehouæ in sacrificium offerret. Iehouæ igitur valdè placuit gratus ille Noachi animus. odoratusq; est Iehoua odorem quietis, id est, suauitatis seu odorem suauem & gratum. Qua insigni metaphora Moses vsus est, vt significaret Iehouam gratiarum actione, pietateq; ista multò magis affici, quàm nos fragranti violæ aut rosæ alicuius odore delectamur. Vtq; odor per aërem latè diffunditur, & sua fragrantia proxima quæq; contingit: ita gratitudo nostra erga Deum per omnia vitæ negotia se diffundere, aliosq; ad imitationis similitudinem incitare debet. Iehoua*

Noachi sacrificium.

*itaq;*

*itaque mirificè sacrificio Noachi delectatus promisit ei se deinceps humanum genus diluuio vniuersali non deleturum & gratissimas uices temporum, quadripartitasq; mutationes sementis, messis, frigoris & caloris, hoc est autumni, æstatis, hyemis, veris ad cõseruationem omnium terra nascentium largiturum. In eius rei testimonium* μέγα *illud* θαῦμα, *hoc est signum Iridis seu cœlestem arcum, habentem*

*—Varios aduerso sole colores,*

*in sublimi specula proposuit: qui, vt veteres leonino illo versu significabant,*

*Ne timeant imbres, datus est in nubibus obses.*

*Obses quidem ille est non futuram deinceps eluuionem generalem: sed idem etiam nuncius non modò pluuiarum, verùm etiam pœnæ ignis &* ἐκπυρώσεως τοῦ κόσμου. *Ideò colores in iride duo sunt: è quibus ceruleus significat genus humanum aquis periisse: igneus autem seu purpureus, postea periturum esse igni, vt 2. Pet. 3. scriptum est.* ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο· οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτῷ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσί, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. *Atq; in hoc tan-*

*Allegoria diluuij, arcæ, corui, colūbæ.*

*to rerum omnium turbine, salutis tamen signa quædam comparent, & illustres ex diluuio, & arca allegoriæ, à pijs viris desumptæ & explicatæ. Nam quod ad diluuium attinet, est illud imago baptismi simul & extremi iudicij. Et sic D. Petrus epistolæ 1. cap. 3. analogiam illam inter baptismum & diluuium explicauit.* εἰς τὴν κιβωτὸν ὀλίγαι (τοῦτ' ἔστιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος: ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. *Vt enim aquæ diluuij arcam Noachi sustinebāt ne cum familia submergeretur: ita baptismi aqua diluuij figuræ respondens nos cōseruat: qua non carnis sordes abluuntur, sed qua fit vt bona conscientia benè respondeat apud Deum per resurrectionem IESV CHSISTI. Arca verò imago est ecclesiæ. Vt enim solus Noachus in diluuio cum suis seruatur, alij omnes homines submerguntur: ita soli ciues ecclesiæ, fiunt hæredes vitæ æternæ, reliqui omnes extra ecclesiam diluuio iræ diuinæ absorbentur. Ideoq; Nazianzenus cum ad ecclesiam sequendam hortatur, præcipuè hac arcæ similitudine vsus est, cum ait:*

ζητῶ Νῶε κιβωτὸν ὅπως μόνον αἰνὸν ἀλύξω.

*Vtq; Noachi arca veluti parua ratis in im-*

*menso*

*menso Oceano, vastis fluctibus & procellis restagnantis aquæ iactata fuit: ita ecclesia semper tyrannorum, hæreticorum, falsorum fratrum, intestinorum dissidiorum et ingentiũ ærumnarum fluctibus affligitur. Sed tamen vt filius Dei Noacho nauigãti adfuit & arcam exterius clausit, ac ad clauum sedit, piosq́; Argonautas gubernauit: ita & ecclesia omnibus temporibus à Christo tanquam verò Iasone inter pericula defenditur & conseruatur. Vt autem arca intus & foris bitumine illita fuit: ita in ecclesia tolerantia, vnitatis tenax & charitatis effectrix, vt Augustinus ait, adhibenda est. Nam intus & foris mali tolerãdi sunt, ne pacis compages soluatur. Vt autem in arca Noachi coruus & columba præcipuam historiam habent: ita in ecclesia lex & Euangelium in primis sonare debent. Coruus enim legis: columba Euangelij imago est. Vt enim coruus à Noacho emissus nuncium sublati diluuij nullum attulit: ita lex nihil certi de placata ira Dei, nihil de liberatione à peccato & morte affert. Sed vt columba ramum oleæ paciferæ in arcam ore suo referens certum nunciũ diluuij consumpti attulit: ita Euãgelium ex ore pacem*

cem

*cem annunciantium sonans, saluberrimum oleum gratiæ diuinæ, credentibus in arcam ecclesiæ conclusis, affert. Est autem coruus hæreticorum quoq; symbolum, sicut columba fidelium. Vt enim coruus in arcam non reuolauit: ita hæretici ex ecclesia egreßi, ad eam non redeunt, sed inepta crocitatione ei obstrepunt & cadaueribus se implent. Vt autem columba ad arcam se recepit: ita pij & fideles homines ad ecclesiæ gremium se conferunt, placidi sunt & puris Euangelij seminibus saturantur. Sed vt ad nouam illam noui orbis interpolationẽ redeamus: noua rursus rerum humanarum constitutio ex illo cataclysmo emersit: & hîc denuò œconomia, politia & ecclesia in integrum restitutæ sunt. Itaq; coniugalis illa benedictio, Crescite & multiplicamini & replete terram: primo statim loco repetita est. Dominium etiam illud politicum in animantia cuiusquemodi restitutum est. Quin & cibus hominis, qui antea purus & simplex ex fructibus & plantis fuit, tum in κρεοφαγίαν est mutatus & ex omnibus animantibus viuis concessus, modò à sanguine, quæ (vt Chaldaicus paraphrastes reddidit) anima animantis est, abstineretur:*

Renouatio rerũ humanarum.

*retur: vt nimirum abstinentia hæc symbolum prohibiti homicidij esset. Cùm Horatius Trigeminus sororem suam gladio trāsfixisset, vt est apud Liuium, lex horrendi criminis erat, vt duumuiri perduellionem iudicarēt: si à duumuiris prouocaret, prouocatione certarent: si vincerent, caput obnuberent, infelici arbori reste suspenderent: vel intra pomœrium vel extra pomœrium verberarent. At hîc non duumuiri, sed æternus Deus perduellionis iudex sedet, & lex horrendi criminis ab eo lata hæc est: De manu viri & de manu fratris eius requiram animam hominis. Hæc enim prohibiti esus sanguinis allegoria à Deo ipso statim subiecta est, vt hæc lex de homicidio, præcipuus neruus esset politici ordinis, cui etiam institutio magistratus adiuncta est. Quæ enim paulò obscurius modo dixit Moses, ea lucidius & apertius statim explicat, cum ait: Schophech dam ha Adam, baadam damo yschophech. Ki beZelam elohim asa es haadam. Quicunque effuderit sanguinem hominis, per hominē sanguis eius effundetur. Nam ad imaginem suam Deus fecit hominem. Quòd enim per hominem effundendum homicidæ sanguinem dicit,*


*cit, magistratum apertè gladio armat, vt frigidum plumbeumq́; illorum argumentũ videatur, qui magistratum ex hoc loco armis suis spoliare conantur. Quod verò ad ecclesiam attinet: cùm ea nouum fœdus Iehoua hîc iniјt de non delẽda amplius rerum natura per vniuersalem eluuionem. Nec solùm cum ecclesia & ipso Noacho, sed etiam cum animantibus omnibus, hoc fœdus percussit, idq́; Abrahamo & posteris ex ipso descensuris, sigillo Iridis obsignauit. Atq; hæc de historia diluuij. Sequitur vt de Lapsu Noachi dicamus. Adami lapsus causam habuit inobedientiam, effectum nuditatem. At Noachi*


II. Lapsus Noachi. *lapsus causam habet ebrietatem, effectum in patre nudationẽ, in filijs partim maledictionem, partim benedictionem. Noachus enim cum primus vineã plantasset & fructu plantationis suæ inebriatus esset pudendis nudatus, ludibrio liberis fuit: indeq́; indignatio et diræ in Chamum minimum natu, & totam eius Chananæam posteritatem. Magnum itaq́; in Noachi hac historia documẽtum est, quanta virtus sit sobrietas, & quantum è contra malum ebrietas sit: qua cum tantus vir lapsus sit, monet nos ille casus ne securi*


*genio*

*genio indulgeamus & moderationis lineas transiliamus. Illud autē hæc historia etiam docet vt patrum & omnium qui nobis præfecti sunt, etiamsi ij nō omnino sint ἀνέγκλητοι, pudenda hoc est, næuos & infirmitates tegamus, cōmodéue interpretemur, nec odiosè & cupidè retegamus & exaggeremus, vt Chamus fecit, ideoq́ diris patris ita confixus est, vt deinceps fratribus suis ipse cum posteritate tota in perpetuam seruitutem addictus fuerit. Verecundia potius & pietas illa in tolerandis patrum infirmitatibus, qua Iapheth & Semus vsi sunt magis laudabilis & imitanda fuerit, vnde & benedictio ea consequatur, quæ pijs & verecūdis filijs à parentibus pro mercede optatur: vt scilicet dilatentur & longa posteritate efflorescāt & in tabernaculis veræ eccesiæ habitent. Sic enim posteris Iapheti, id est, gentibus quæ ab Iapeto propagatæ sunt, promittitur hîc fore vt recipiātur in tabernacula Semi, ex cuius posteris Christus natus est: hoc est, vt tanquam oleaster in oleam Christum inserātur, & fiant conciues sanctorū & domestici Dei. Restat vt Noachi filios & posteros in tabula genealogica proponamus.* III. Posteri Noachi.

*Sem,*




*Ex his Noachi liberis deinde totum genus humanum propagatum est: in hac igitur parte consideranda sunt duo: primò ecclesia & vbi ea permanserit vsq; ad Christum: deinde Gentes & earum origo, migratio, adiunctioq; ad ecclesiæ tentoria: & ad extremum* Monar-

*Monarchiarum constitutio ac Græcorũ vanitas & puerilitas.*

*Quod igitur ad ecclesiam attinet: permãsit illa in posteris Sem: qui sic dictus est vel à Schem, id est nomen, vel Som, id est positus. Hic enim positio seu stirps Meßiæ & veræ Dei ecclesiæ fuit: de qua etsi in speciali singulorum patrum historia specialiter dicẽdum sæpè erit: nihil tamen ꝓhibet, hoc loco quinque generalia capita delibare, quorum deinceps perpetuus in ecclesiæ historia usus erit: Sunt autem hæc, 1 Locus seu vbi fuerit ecclesia. 2 Quæ lumina & quas doctores habuerit. 3 Doctrina. 4 Crux. 5 Liberatio.* Ecclesiæ sedes & status

*Quod igitur ad sedem ecclesiæ attinet: verisimile est Noachum ex Armenia (in cuius mõtibus arca quieuit) in veterem patriam id est loca vicina Damasco vrbi Syriæ vetustißimæ rediÿsse. Nam & ipse ibi antea vixerat, ibiq́; primos parentes conditos sciebat. Ad hæc certum est filium Noachi Semum in illa regione rursus vixisse, quæ postea nominata est Ierusalem. Fuit igitur eo tẽpore ecclesia Dei in ÿs locis vbi fuerũt Noachus, Semus & eorũ posteri, quãdiu illi veræ doctrinæ vsuram retinuerunt. Sed cùm Semi po-*

*ſteri in metropoli Chaldææ Babylone eſſent, ibi paulatim veræ doctrinæ lux extincta eſt, & impiæ de Deo opiniones exortæ ſunt. Itaq; vt eſt Geneſ. 12. Iehoua Abrahamum ex Babylone ad Semum patrẽ maiorum ſuorum in Sichem quaſi poſtliminio reduxit. Abrahamo autem ipſi à Iehoua certa ſedes, Paleſtina videlicet promiſſa eſt, in qua deinceps vſq; ad Chriſtum tentoria eccleſiæ fixa fuerunt. In hac ſede flos humani generis floruit, Sẽ, Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Dauid, Salomon, & alij: hic enim ſecundus locus de eccleſiæ luminibus fuit. Quod verò ad tertiũ de doctrina attinet, ſemper in eccleſia Lex & Euangeliũ viguit. Sic enim ad Noachum Geneſ. 9. lex de homicidio: ad Abrahamum lex de inceſtis libidinibus repetita eſt. Ad pleroſq; verò patres promiſſio de venturo ſemine mulieris redintegrata eſt: vt ad Abrahamum Geneſ. 12. 18. 22. Ad Iſaacum Gen. 26. 28. Ad Iacobum Geneſ. 40. Qualis autem eccleſiæ crux, qualiſq; liberatio fuerit, (nam hi duo loci ex quinq; propoſitis reliqui ſunt) id oſtendet ſingularis cuiuſq; temporis hiſtoria. Itaq; his breuiter quaſi ſummo digito oſtenſis ad Gentium origines accedamus: in*

*qua*

*qua parte illud primum tenendum est, à quibus appellationes gentium fluxerint, illis etiam origines earundem deberi. At à Chaldæis & Hebræis Noachiq; posteris appellationes gentium fluxerunt: quæ nũquam potuerunt in tanta linguarum varietate aboleri, & longè prius in vsu fuerunt, quàm Græcæ aut Latinæ linguæ imago extitisset. Hebræis igitur & Chaldæis gentium origines debentur. Hoc fundamento sic posito, singulatim de cuiusq; populi parẽtibus & satoribus disseremus: initio sumpto à Semo.*

SEMI POSTERITAS.

*Semi posteritas loca vicina Euphrati fluuio Armeniæ, versus orientem, hoc est Syriam, Persiam & reliquum orientem occupauit, sumpto (vt Zonaras ait) initio ab Euphrate usq; ad Occanum Indicum. Nam*

*1. Ab Elã orti sunt Persæ & Elymæi. Dan. 8. Cùm essem in Susis castro, quod est in regione Elam. Apud Xenophontem in historia Cyri mẽtio fit tribus Elamidos. Elymæos describit Strabo lib. 16. Elam adolescens.*

*2. Ab Assur orti sunt Assyrij: qui (vt Genes. 10. est) Niniuen in Assyria condidit. Assur beatus.*

*3. Ab Arphaxat orti sunt Chaldæi, ait Iosephus, & ab eius nepote Eber Ebræi: ex qua stirpe natus est Abrahamus, octauo gradu ab Arphaxato distans. Arphacschad sanans vastationem.*

*4. A Lud orti sunt Lydi, vt Zonaras ait, & Eusebius. Lud natus. Lude Germanis.*

*5. Ab Aram orti sunt Syri & Mesopotamij, quorum regionem scriptura Aram Naharaim, id est, Syriam fluuiorum nominat: & Plinius lib. 6. cap. 17. scribit Scythas antiquitus Aramæos dictos esse. Funccius ab Aram etiam Armenios deducit, quasi sublimes. Metropolis Syriæ est Damascus, vt Esaiæ 7. scriptum est. Caput Aram Damascus. Aram sublimis.*

*Filij Arami quatuor fuerũt: Hus, Hul, Gether, Mes. Hus Arabiæ Petrææ partem tenuit, quæ patria Iobi fuit. Iosephus & Zonaras aiunt hunc condidisse Trachonitidẽ & Damascum quæ inter Palæstinam & Cœlosyriam interiacet. Hul Armeniorum stirps est, vt Hieronymus vult: vel eam possedit, vt alij volunt. Gether Bactrianos condidit secũdum Zonaram: ab hoc Getas & Gothos originem suam & appellationem traxisse consenta-*

*sententiam est. Gothi autem ex Getis orti, tenuerunt eam regionem quæ nũc Valachia dicitur & occuparunt ripam fluuij Vistulæ & Sueciã vicinasq́; regiones vbi mansit nomen Gothiæ. Mentio Getheri fit in lib.1. Paralip.cap.1. Geth est mola. Gether dominus molæ. Mes secundum Iosephum Mesaneos condidit. Araxinam sanè Armeniæ regionẽ fertilissimam fuisse ait Strabo lib.2.& 11. Ab hoc consentaneum est Massagetas ortos cum quibus infælix bellũ gessit Cyrus Persarum rex, quod Herodotus describit.*

*Filius Arphaxat fuit Sale, id est, ramus, propago: à Selach. Eius filius fuit Heber, id est, peregrinator: à quo Hebræi, peregrinatores, transeuntes. Eius filij duo: Peleg & Iectan. Peleg à diuisione dicitur. Nam anno eius 48. linguæ diuisæ sunt, cùm antea eo anno quo ipse natus est, diuisio terræ facta esset. Filij Iectan tredecim fuerunt, qui occuparũt Indiam amplissimam videlicet regionẽ versus orientem, cuius termini sunt Messa & mons Sephar, q̃ Indiæ loca esse Eusebius monet. Ex his vnus Ophir nomine, appellationem dedisse existimatur regioni Ophir, ex qua classis Salomonis aurũ attulit 3. Reg.9.*

CHAMI POSTERITAS.

*Chami liberi Syriam & Amanum ac Libanum montes tenuêre, & quicquid terræ illius mare ſpectat, vſq; ad Oceanum: ait Zonaras. Hoc eſt verſus meridiem, Palæſtinam, Aegyptum ac Libyam. Nam*

*1. Chus condidit gentes Aethiopiæ (in vltima ora Africæ vbi Nili fontes ſunt) & Arabiæ fœlicis. Occupauit enim Aethiopiam à ſinu Perſico vſque ad extrema Africæ loca ad meridiem, vbi Chuſitas populos ponit Ptolemæus lib. 4. ca. 6. Chuſitæ nigri. Eius filij fuerunt ſex, Saba, Euila, Sabatha, Regma, Sabathaca, Nimrod. Saba partem Aethiopiæ occupauit: vtq; alij volunt, Sabæos & Arabes condidit. Ab Euila pars Indorum manaſſe exiſtimatur: Funccius ab eo Getuliæ incolas deducit. A Sabatha metropolis Aethiopiæ ſub Aegypto nomen accepit, cui Ptolem. lib. 4. tribuit longit. 68. 20. latit. 12. 30. Funccius ab eo Aſtaburos, qui vltra Atlantem in Aethiopia habitant, deſcendiſſe putat. Regma Ezech. 27. coniungitur cum Saba: vnde coniectura eſt eũ Arabiæ fœlicis partem occupaſſe. Eius duo filij fuerunt, Schaba & Dedan. A Schaba Arabiæ fœlicis metropolis nomen acce-*

*accepit: cuius mentio est Esaiæ 60. Omnes de Schaba venient, aurum & thus afferentes. Ps. 71. Reges Arabum & Schaba dona adducent. A Dedan Arabiæ fœlicis vrbs nomen accepit: cuius mentio fit Ezech. 27. 38. Nimrod sextus Chusi filius, (quem alij amarum dominatorem, ein scharpffen, strengen regenten: à mar & radah: alij rebellem, à marad interpretantur) primus Monarcha in mundo fuit. Nam primam Monarchiam Chaldæorum condidit. Hic vocatur venator robustus coram domino. Quia non solùm prudētia & industria, sed etiam robore, armis, vi ac gladio homines in potestatem redegit & regnum constituit. Additur autem, corā domino, vt intelligamus imperia diuinitus constituta & ordinata esse & diuinitus dari victoriam & successus in constituēdis imperijs, & magistratus gladium gerentes Dei ministros esse, ut 13. Rom. dicitur. Cœpit autem regnare Nimrod anno 131. post diluuiū & regnauit 56. annos, teste Berose lib. 4. qui eum nominat Saturnum Babylonicum. Hic Babylonem condidit: ex qua egressus in Assyriam, ædificauit ibi Niniuen. Sic enim quidam interpretantur locum Mosis (de terra*

*illa egressus est Assur & ædificauit Niniuen) Alij verò de Assur filio Semi intelligunt, qui fugerit impietatẽ Chamitarum & alibi sedes quæsiuerit. Xenophon verò in æquiuocis scribit Assyriũ fuisse nepotem Nimrodi, cognomine Ninum, qui vrbi à se conditæ nomen dederit. Vtraq; autem vrbs τετράπολις fuit, diuisa in quatuor partes nominibus distinctas. Babylonis partes fuerunt Babel, Arach, Archat, Calanne. Niniues partes fuerunt, Niniue, Rehoboth, Chala, Resen.*

*2. Mizraim stirps est gẽtis Aegyptiæ. Itaq; vbicunq; in Mose & cæteris prophetis in Latina versione nomen Aegypti extat, semper in Hebræo textu Mizraim legitur: & sic hodieq; veterem appellationem Aegyptij retinent. Arabes enim & Turci eam Mizri appellant. Mizraim Hebræis est affligens, angustijs premens: à iazar: non, vt alij rebellis. Eius filij fuerunt, Ludim, Ananim, Laabim, Neptuim, Phetusim, Chasluim. A Laabim Libya nominata est, propter ardores & æstus quibus torretur. Laab enim est flamma: vnde Libyes, inflãmati: Græci Aphricam dixerunt, quasi frigore vacuã, ab α priuante particula & φρίκη horror. A Chasluim venerũt Phi-*

*Philiſtym & Capturim. Philiſtym quinque amplas vrbes in litore terræ Canaan tenuerunt, atq; poſtea toti terræ nomen Paleſtinæ dederunt. Nam, vt Zonaras ait, Mizraim liberi terram quæ eſt à Gaza Aegyptum vſq; tenuerunt. Verùm ſolius Philiſtym nomen pars illius retinuit, quam Græci Palæſtinam dixerunt. Capturim verò poſteritas Philiſtinis permixta in eodem litore Syriaci maris habitauit. Latinus interpres Deut. 2. Ierem. 47. Amos 9. vertit Cappadoces: vbi tamẽ nõ Cappadoces ad Pontum Euxinum, ſed poſteri Caphtorim fratris Philiſtym ſunt intelligendi.*

*3. Phut pater eſt Mauritanorum, apud quos flumen Phtuth nominat Ptolem. lib. 4. & Plin. lib. 5. cap. 1. Eſt & Phythis vrbs in Mauritania, ſic dicta quòd ſit in cardine Africæ. Vicinum eſt illi nomen Phaëthontis, quem cognitione motuum cœleſtium claruiſſe & inuſitatos ardores ex aſtris prædixiſſe Poëtæ indicant. Hunc Phaëthontem conijciunt aliqui fuiſſe Phut nepotem Noachi.*

*4. Canaan, Cananæam poſtea Iudæam vocatam incoluit, nomine à ſe indito. Ea in vndecim populos ab vndecim eius filijs diſtri-*

*buta est ab Aegypto vsq; ad Tyrum & Sidonem extensa & ab Israelitis magna ex parte deleta. Cananæi Hebræis sunt mercatores: Sidonij enim & Tyrij præcipui mercatores fuerunt, propter maris mediterranei opportunitatem. Filij autem Canaan, à quibus populi terræ Canaan seu Palestinæ, nomina acceperunt, sunt hi: Sidon, Hethæus, Iebusæus, Amorræus, Gergesæus, Euæus, Aracæus, Cynæus, Aradius, Samarites, Amathæus. Sidon id est, venator condidit celeberrimã in Phœnicia vrbem Sidonem, cuius colonia est vicina Tyrus. Hethæus nomen dedit Hethæis & condidit vrbẽ Hebron, vbi habitauit Abraham Genes. 23. Ex hoc ortus est Vrias maritus Bethsabeæ. Iebusæus tenuit Gabea & Ierusalem, quæ antiquitus Iebus dicta fuit. Amorræus duas regiones occupauit: vnã, quæ postea in sortem tribus Iuda cessit: alteram trans Iordanem, cuius metropolis fuit Esebon, in tribu Ruben. Num. 21. 32. Nomen habet à loquacitate, αὐτὸς ἔφα. Gergesæus pater fuit Gergesenorũ in terra Gessuri trans Iordanem, quorum mentio est Matth. 8. Euæus tenuit Sichem, Gazam, & Mizphe. Gen. 34. Deut. 2. Ios. 11. A Cynæo desertum Sin nomen*

*accepit.*

*accepit. Aradius vrbem condidit in finibus Iudææ & Arabiæ Petrææ. Num. 21.33. Ab Amathæo vrbs & regio Emath in finibus tribus Neptali & montium Libani nomen accepit. Zonaras ait eum vrbē Amatham, Macedonibus habitatam, condidisse, cuius vrbis nomen Ptolemæus Epiphanes in Epiphaniam commutauit. Hinc Emathij, Macedones: Vnde Lucanus, Bella per Emathios plus quam ciuilia campos. Vide Iustin. initio libri septimi.*

IAPHETI POSTERITAS.

*Iaphet Hebræis dilatationem significat. Nam posteritas eius latißimè in minori Asia & per totam Europam versus occidentē & septentrionem propagata est. Nam, vt Zonaras scribit, filij eius septem à Tauro & Amano montibus progreßi sunt in Asia quidē vsq; ad Tanaim fluuium: in Europa verò vsque ad Gades. Hunc Iaphetum Græci Iapetū & ex ipsius filijs vnum Prometheum nominãt: à quo hominem ex limo terræ fictum & ignem Iouis ad homines è cælo delatum esse scribunt: hanc forte ob causam, quia ex ipsius sermonibus doctrina de creatione πρωτοπλάσου ad gẽtes emanauit: & quia veram sapien-*

*sapientiam, quæ est radius lucis diuinæ, videlicet doctrinam de Deo, præcepta de moribus & leges motuum cælestium, alijs tradidit. Hinc ab Hesiodo nominatur*

ἰαπετιονίδης πάντων πέρι μήδεα εἰδώς.

*& Ouid. 1. Metamorph.*

Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

*Est itaq; Iapetus Noachi filius, à quo Europæi propagati sunt: idq; non modò Hebræi, sed etiam Græci ac Latini confitentur. Audax, inquit Horatius, Iapeti genus: quod ab Homero & Aeschylo sumptum est. At in huius vocis etymologia, mirum est quàm Græci se frustra torqueant. Alius* παρὰ τὸ ἰάπτειν, *id est, lædere: alius* παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, *id est, mederi: nonnulli* παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι *duci voluerũt. Sic enim Scholiastes Hesiodi in Theogonia ait:* τὸν ἰαπετὸν θεὸν οἰητέον εἶναι νοερὸν αἴτιον πάσης τῆς πλάνης τοῦ οὐρανοῦ καὶ ὀξυτάτης ταύτης κινήσεως: παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι. προμηθεὺς δὲ ἄνθρωπος διὰ ἀγχινοίας τοὺς ἀνθρώπους μεταρρυθμίσας, ὃν διὰ τοῦτο πλάσαι τοὺς ἀνθρώπους μυθεύονται. *Sed quinam populi ex singulis Iapeti filijs prognati sint, videamus.*

*1. A Gomero Cimmerij seu Cimbri ortum duxisse creduntur. Hi primũ ad Borysthenẽ & Tanaim & Tauricã Chersonesum habitarũt, vbi adhuc reliqua sunt nomina Bosphori & oppidi Cimmerij, cuius meminit etiam Herodotus lib. 4. & Ptol. lib. 5. Geographiæ. Narrat autem Herodotus Cimmerios à Scythis pulsos, partim in Asiam minorem ac Lydiã infusos esse, partim in alia loca migrasse. Eo tempore credibile est Cimmerios à Borysthene ad orã Balthici litoris progressos, Cimbricæ Chersoneso (quæ nũc Holsatia & Iutia vocatur) nomẽ dedisse. Planè enim idem nomen est Cimmerij & Cimbri, vt etiã Strabo lib. 7. testatur. Et Plutarch. in vita Marij scribit Cimbros, qui cum Rom. bella gesserũt, in vexillo caput Tauri pinxisse: quod nunc quoq; Duces Megapolenses à veteribus Cimbris orti, in suis insignibus retinent. Cimbri Germanis Kempffer dicuntur, vt annotauit Auentinus lib. 1. & sic Plutar. ait in Mario,* κιμβρους ἐπονομάζουσι γερμανοὶ τοὺς λῃστάς. *Homerus eorundem meminit Odyss. λ.* ἀντιτιθέμενος τῷ κλίματι χώρας αὐτῶν, ζοφώδη ὄν, καὶ ὥς φησιν:

ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς

ἠέλιος

ἥλιος φαέθων ἐπιλάμπεται ἀκτίνεσσιν,
ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέτατα.

*Qua de re etiam Plut. in Mario scribit, & videndum prouerb. Cimmeriæ tenebræ. Filij autem Gomeri tres fuerunt, Ascenez, Rhiphat & Togorma. Ab Ascanes Tuiscones & Teutones nomen habere vulgo censentur, & sic Hebræis hodieq; Germani Ascenazim dicuntur, non ab Esch & Cohen, quasi sacerdotes ignis. Non enim patitur Hebraica lingua, vt radicalis Zain elidatur & he quiescat in Cohen. Verius igitur est habitatores dispersos interpretari, à Sacan & Naza. Hinc etiam Sicania & Ascania regio Asiæ minoris, in qua vrbs Nicea deinde condita est in Bithynia, cui & Mysi & Heneti & Caucones finitimi fuerunt, vt Homerus etiam in Catalogo seu lib. 2. Iliad. in fine indicat, vbi ductor exercitus inter auxilia Troianorum nominatur Ascanius*

φόρκυς αὖ φρύγας ἦγε καὶ ἀσκάνιος θεοειδὴς
τῆλ' ἐξ ἀσκανίης. & Iliad. ν.
πάλμυν τ' ἀσκάνιόν τε, μόρυν θ' υἷ' ἱπποτίωνος.
μυσῶν ἀγχεμάχων ἡγήτορα:
οἵ ῥ' ἐξ ἀσκανίης ἐριβώλακος ἦλθον ἀμοιβοί.

*Ex illa Asiæ regione Ascanios vnà cum Mysis, Henetis & alijs gentibus vicinis in Europam*

*pam*

*pam & Germaniam migrasse credibile est, vt nunc quoq; Henetos passim genti Teutonicæ admixtos videmus. De Ascania regione & palude Ascania, ex qua fl. Ascanius Troiæ vicinus erumpit: Strabo scribit lib. 12. Nihil autem putidius est etymologia illa quam ex Saturni podice delire deducit Goropius: qui è Cimbrica lingua Ascanium interpretatur agnoscẽtem statim escam, as ken hast. Illud magis memorabile, si verum est, quod Berosus scribit, à Noacho videlicet posteritatem Ascanij esse adoptatam: & hunc secutus Auentinus lib. 1. sic scribit. Noachus Anno 111. post diluuium, Tuisconis (quem in Armenia genuerat, & qui etiam Ascanius dicitur) posteros adoptauit: ipsum deinde in Europam misit: & quicquid inter Rhenũ & Tanaim amnes continetur, eidem assignauit. Germaniæ 4. genera sunt: Teutones, Veneti, Cimbri, Vgri. Veneti sunt hodie Sclaui: qui cõpræhendunt Bohemos, Polonos, Massouios, Morauos, Podolios, Roxolanos & Litauos. Cimbri sunt Dani, Scandi, Selandi, Scandinaui, Sueones seu Sueci, Fenni, Gothi: à quibus Godanus sinus: Græci Getas, Latinè Dacos vocant. Vgri vna gens est, non in plu-*

*res*

*res partes diuisa: incolunt Pannoniam & eam partem Germaniæ, quam Iazyges, Gothi, Getæ, Gepidæ (hodie Sibẽburgenses in veteri Dacia) tenuerũt. Teutones sunt reliqui populi Germaniæ. Et paulò inferius: Anno 131. post diluuium Nimrod regnum Babyloniorum seu Assyriorum condidit: cuius primordio Tuisco Gigas, pater Germanorum & Sarmatarum, cum XX. ducibus, Semi fratris sui nepotibus, ex Armenia venit in Europam. Duces autem Tuisconis, à quo Teutones dicti, hi fuerunt:*

1 *Sarmata, à quo Sarmatia vtraq;.*

2 *Danus, à quo Dania & Dani, qui & Cimbri dicuntur.*

3 *Geta, à quo Gotlandia in sinu Venedico, è regione Vistulæ amnis: qui & sinus Codanus dicitur à Goto et Dano.*

4 *Tibiscus, à quo fl. Tibiscus, vbi hodie Vngaria magna, Septemcastrenses, Valachi, & Gothi.*

5 *Mæsa, à quo Mæsi inter Danubium & Sauum: hodie Bosnia, Seruia, Bulgaria.*

6 *Phrygus* } *duo filij Mæsæ.*
7 *Thynus* }

*8 Dal-*

8 *Dalmata, à quo Dalmatæ.*
9 *Iader* } *tenuerunt Liburniam &*
10 *Albanus* } *Illyricum.*
11 *Sauus, à quo Sauus fl. qui Pannonias à Mœsijs separat: oriturqúe in Alpibus Carnicis supra Labacum Carnorum caput.*
12 *Panno* }
13 *Salo* } *fratres, incoluêre Pannoniã.*
14 *Azalo* }
15 *Ister, filius Heberi, autor condendæ Babyloniæ turris cum Nimrodo: consedit inter Draum & Oenum fl. Nomẽ dedit Istro fl. & Histriæ.*
16 *Adulas: nomen dedit monti altissimo inter Oenum & Rhenum.*
17 *Diclas.*
18 *Obalus.*
19 *Epirus. Tuisconis filius secũdum Tacitum Mannus fuit: cuius filij fuerunt, Ingæuon, Herminon & Istæuon.*

*A Rhiphat Paphlagonas ortos esse scribit Iosephus lib. 1. cap. 11. & D. Hieronymus. Certum autem est Paphlagoniam Henetorũ sedem vetustam esse, vt ex Homero Iliad. ε. apparet.*

παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο πυλαιμένεος λάσιον κῆρ ἐξ ἐνετῶν. Item ex Apollonio,

παφλαγόνων τοῖσιν δ' ἐνετήϊος ἐμβασίλευε.

*Et Liuius statim initio suæ historiæ scribit Antenorem Troianum cum multitudine Henetorum ( qui seditione ex Paphlagonia pulsi & sedes & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amisso, quærebant ) venisse in intimum maris Adriatici sinum. Consentaneum itaq; est Rhiphat stirpem esse amplissimæ gentis Henetæ, quæ postea versus septentrionem & occasum progressa, plurimas Europæ regiones, Sarmatiam, Russiam, Seruiam, Illyricum, Bohemiam occupauit, & hodie etiamnum tenet. Cumq; Riphæos montes in Sarmatia nominet Ptolemæus, ad fontē Tanais, quanquā tales ibi nulli sint: tamen consentaneum est originem appellationis esse à Riphat.*

*Togorma mentio fit Ezech. 38. Gomer & domus Togorma latera Aquilonis. Vnde apparet septentrionalem aliquam gētem Cimmerijs & Moschis vicinam hac voce significari. Zonaras Phrygas ab hoc deductos vult, Lutherus Tartaros, Funccius Moscouitas, qui & Albi Russi.*

2 A Ma-

2 A Magog Scythas νομάδας & ἁμαξοβίους & Turcos ortos existimat Zonaras. Hebræis dicuntur habitantes in tugurijs, Magog, de tecto. Collocat autem Plinius Turcos in Scythia non procul à Cimmerijs versus orientem: & Herodotus in Scythiæ descriptione nominat ἰύρκας. Fit autem mentio gentis Magog Ezech. 38. 39. & Apocal. 20. quam latissimè postremis temporibus regnaturam & cum ecclesia Dei bellum gesturam, ibidem prædicitur. Hæc ad Turcicam gentem rectè congruunt.

3 Madai pater est Medorum, qui vbiq; in Biblijs nomine Madai significantur, Dan. 5. 6. 8. 9. Ierem. 25. 51. Esai. 13. Tenuerunt autem regionem finitimam Armeniæ & mari Caspio, in qua vrbem Ecbatana cõdidit Deioces, cuius pronepos fuit Astyages, auus maternus Cyri, quem vnà cũ Dario Medo regnasse Daniel narrat.

4 Iauan seu Ion stirps est gentis Ionicæ in Asia & Græcia. Hinc Daniel. cap. 10. Alexandrũ M. regem Iaon vel Ion vel Iauan in Assyria imperaturum prædixit. Huius Iauan seu Ionis memoria mãsit apud Græcos & Latinos poëtas, qui nominãt Ianum, eumq; bi-

*frontem fingunt, fortaßis ideò quia vtriusq; gentis Græcæ & Latinæ pater fuit. Græci no nomen à flore, ἴον, deriuarunt. Hebræis significat defraudatorem, vt quidam existimāt, inducti autoritate D. Hieronymi, qui lib. 8. comment. in Ezechielem, interpretatur Iauan, est & non est. Aliqui à Iain deducunt, quæ vox vinum significat. Hinc Ianus vinosius seu vinitor quem Dionysius Halicarnasseus Oenotrium eadem significationē appellat eum qui primus colonias in Italiam transtulit. Illud constat omnibus propè Italis Doricam liguam fuisse communem: & sic Italiæ regiones magna sui parte Græcam retinent appellationem, cuiusmodi sunt hæ, Lucania, Vmbria, Cumæ, Phlegræus campus, Elea, Pandosia, Pandataria, Neapolis, Peucetia. Sed Ionis filij quatuor fuerunt: Elisa, Tharsis, Cethim, Dodanim.*

*Ab Elisa Aeoles deducti sunt: qui vt Strabo scribit erant omnes populi extra Isthmū, præter Athenienses & Megarenses. Argiuorum (qui inter Aeoles clarißimi fuerūt) imperium tenuit Danaus, qui colonias in Peloponnesum duxit. Hi etiam Pelasgi dicebantur, Vt autem Heneti in plurimis & dißitis regio-*

*regionibus consederunt, Germania, Italia, Gallia: ita Pelasgi etiã πολυπλάνητον ἔθνος ab Herodoto nominantur: de quorum erroribus Strabo multa lib.5. & 13. habet. Antiquißima eorum sedes Thessalia & Epirus fuit, vbi in templo Iouis Dodonæi memoria Dodanim fratris Elisæ permansit. Postea in Peloponnesum & Italiã quoq; propagati sunt, vbi Cære vrbs in Hetruria ab ipsis condita est. Sed Belli Troiani tempore etiam in Asiæ regione, quæ Aeolis dicitur, Larissam vrbem Cumæ vicinam tenuerunt, ut ex Homero Iliad. β. apparet.*

ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα πελασγῶν ἐγχεσιμώρων,
τῶν, οἳ λαρίσαν ἐριβώλακα ναιετάασκον.

*Occuparunt autem & insulas Asiæ minori vicinas, vt Menecrates testis est. Ideò Ezech. 27. ex insulis Elisa hyacinthũ & purpuram ad Tyrios afferri scribitur. Et apud Græcos poëtas celebratur Aeolus rex ventorum, id est, insularum in mari Græco.*

*Tharsis condidit Tarsum metropolim Ciliciæ, patriã D. Pauli Apostoli. Quam Græci ignari primæ originis gentium, fingunt nomen habere à Græca voce ταρσός, quæ altitudinem pedis (den Reyen) significat. Quia*

*Bellerophontes excussus à Pegaso & in eum Cilicię locum decidens, ταρσὸν fregerit. Alij (vt refert Iosephus) dicunt Perseum in Ciliciam profectum ac de condenda vrbe cogitantem, dum fabris locum vrbis demonstraret, planta pedis terram percussisse, atque inde vrbem cognominatam.*

*Cethim stirps est gentis Macedonicę & Latinę, vt manifestum est ex sacris historijs. Nam Esai. 23. Vastator Tyri Alexander M. ex terra Cethim educitur. Et 1. Macc. 1. Alexander M. scribitur ex terra Cethim egressus esse & 1. Macca. 8. Philippus & Perseus reges Macedonię à Romanis victi, nominãtur reges Cethæorum. Stephanus quoque lexici Geographici autor scribit veteres non Macedonem sed Μακέτην scripsisse. Indicat autem Suidas in dictione λατῖνοι, Ceteos in Italiam ductos esse à Latino Telephi filio, à quo Latini dicti sint. Ideò in prophetis sępè Romani quoque appellatione Cethim indicantur: vt Dan. 11. contra Antiochum Epiphanem venient naues ex Cethim, id est Italia.*

*Dodanim nomẽ mansit in Epiro, vbi templum fuit Iouis Dodonæi, quod vnà cum Iouis Hammonis oraculo demonstratum esse à*

du[?]bus

*duabus columbis ex Aegypto prouolãtibus, scribit Herodotus, Funccius ab his & Rhodios deducit, mutata litera d in r.*

*5 Thubal Ezechielis 22.27.38.39. coniungitur cum Mesech & Magog. Vnde apparet gentem septentrionalem & Cappadociæ, Moscis & Colchis vicinam fuisse. Fuerunt autem in ea vicinia Chalybes, apud quos venæ ferri & argẽti præstantes fuerũt: vnde Chalybs dicitur. Ex eo loco in Hispaniam Chalybas ferri opifices profectos volunt. Ideò Iosephus lib. 1. cap. 11. & Berosus scribunt Tubal gentis Hispaniæ conditorem esse: & Hebræi tam Italos quã Hispanos Tubal vocant: nos die Vualen appellamus. Zonaras Iberes à Tubale deducit, qui in Asia Chalybibus vicini fuerunt. Chalybes verò ex antiquiore nomine Alybes nominatos Philippus putat. Homerus enim Iliad. β. in fine Alybes vrbis meminit,*

τηλόθεν ἐξ ἀλύβης, ὅτι ἀργύρου ἐστὶ γενέθλα.

*Et Apollonius lib. 2. scribit Argonautàs ad Chalybes in Asia venisse.*

*6 Mosoch stirps Mysorum, & Cappadocum ac Moscorum esse putatur. Nam Cappadociæ metropolis fuit Mazaca, quæ postea*

 in ho-

*in honorem Augusti Cæsarea est appellata. Et in finibus Cappadociæ & Colchidis Moschij montes & populi à Ptolemæo celebrantur & ab Apollonio lib. 2.*

τρηχεῖαν Χάλυβες καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν
ἐργατίναι, τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται
τῇ δ' ἐπὶ Μοσσύνοικοι ὁμούριοι ὑλήεσσαν
ἑξείης ἤπειρον ὑπωρείας τε νέμονται,
δουρατέοις πύργοισιν ἐνοίκια τεκτήναντες
κάλινα, καὶ πύργους εὐπηγέας, οὓς καλέουσι
μόσσυνας, καὶ δ' αὐτοὶ ἐπώνυμοι ἔνθεν ἔασιν.

*Siue autẽ à ligneis casis, vt Apollonius scribit, siue ab extendendis arcubus, vt Hebræa vox Mesech notat, nomen acceperint: certũ est Moschos Cappadocibus, Colchis & Iberis vicinos fuisse, vt Ptolemæus, Strabo, Herodotus & alij testantur. Inde vlterius versus septentrionem progreßi, Moscouitis nomen dederunt, quorum metropolis nunc est Mosca vrbs amplißima ad flumen* ὁμώνυμον *sita, quæ à Vilna Lituaniæ vrbe 160. milliaribus versus ortum, à Riga ferè 200. milliaribus distat. Fit mentio gentis Mosoch Ezech. 27. 32. 38. & Ps. 120. Hei mihi quod exulo in Mesech.*

*7 Thiras amplißimæ gentis Thraciæ pater est, quæ ad Hellespontum & Danubiũ se extendit.*

*tendit. Extat adhuc nomen Tyræ fluuij in Rußia, cuius ostium inter Istri & Borysthenis ostia ferè medium est: hodie Nester dicitur. Ptolemæus etiam Atiram fl. in Thracia ponit. Atque hæc hactenus de gentium origine.*

*Diuisio itaq;, vt suprà diximus, in prouincias orbe terrarum, cũ qualibet familia sortem suam à patre Noacho attributam occupare & in eius possessionem ire vellet, factũ est vt ab Armeniæ montibus digreßi, in campum Sennear omnis generis delitijs & amœnitatibus refertum deuenerint. Ibi capti loci geniali situ & iucunditate soli, per triginta propemodum annos hæserunt. Sed cùm multitudine hominum quotidie augescente tam angusto loco iam amplius capi non possent & in alias sedes, tanquam colonias exire cogerentur: turrim ingentem, quæ cœlum vertice contingeret, ex coctis lateribus ædificare autore Nimrodo instituerunt, vt hoc quasi μνημοσύνῳ nomen suũ æternitati proderent & vt quidam existimant, contra diluuium præsidium sibi compararent. Verùm Deus inceptum eorũ scitè elusit, iniecta linguarum diuersitate, vt alij aliorum sermo-*

Gentium migratio & mutatio loci.

*nem non intelligerent. Turris illa Babylon postea dicta est, ob sermonum confusionem. Babel enim Hebræis est confusio. Ita confusis linguarum vestigiis, in suam quisq; regionẽ, vnà cum eis quos similitudo linguæ sibi coniunxit, emigrauit. Huius turris historia etiam ad ethnicos peruenit: & poëtæ quidẽ fabulantur Gigantes terræ filios congestis montibus, Deos cælo deturbare conatos fuisse, vt Hesiodus in Theogonia, Ouid. lib. 1. Metamorph. Claudianus in Gigãtomachia testantur. Et extãt Sibyllæ verba apud Iosephum:* πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ. οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. *Cæterùm Herodotus lib. 1. descriptionem Babylonicæ turris habet: quæ etsi longo tempore post primam illam turrim extructa est, verisimile tamen est artifices ad primam illam ideam respexisse.* ἐν μέσῳ τοῦ ἱροῦ, πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται, σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος. καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πύργῳ ἄλλος πύργος ἐπιβέβηκε, καὶ ἕτερος μάλα ἐπὶ τούτῳ, μέχρις οὗ ὀκτὼ

πύρ-

πύργων. ἀνάβασις δὲ ἐς αὐτοὺς ἔξωθεν κύκλῳ περὶ πάντας τοὺς πύργους ἔχουσα πεποίηται. μεσοῦντι δέ κου τῆς ἀναβάσιος ἐστὶ καταγωγή τε καὶ θῶκοι ἀμπαυστήριοι. ἐν δὲ τῷ τελευταίῳ πύργῳ νηὸς ἔπεστι μέγας. *Causam igitur migrationis gentium & varietatis linguarum hæc historia primam & antiquißimam explicat. Accesserunt autem postea & aliæ. Omnes enim populorum migrationes præter abundantiam multitudinis, & inopiam agrorum, aut ob cæli intemperiem aut ob hostium viribus superiorum expulsionem contigerunt. Sic, vt ait Seneca in consolatione ad Albinam, Atheniensis turba in Asia est: totum verò Italiæ latus quod inferiori mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vendicat. Tyrij Africam incolunt: in Hispaniam Pœni: in Græciam Galli: in Galliam Græci se immiserunt. Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit. Alij longo errore iactati non iudicio elegerunt locum, sed laßitudine proximum occuparunt. Alij armis sibi ius in aliena terra fecerunt: alios excidia vrbium suarum, alios domestica seditio, alios superfluentis populi frequentia ad exonerandas vires emisit: alios pestilentia.*

*lentia aut frequentes terrarum hiatus, aut intoleranda soli vitia eiecerunt: alios alia causa exciuit domibus suis. Quidam ibi consederunt, vbi illos rerum inopia deposuit: quasdam gentes, cùm ignota peterent, mare hausit. Quid referam Antenorem Patauij conditorem: Euandrum in ripa Tiberis regna collocantem? quot populus Rom. colonias in omnes prouincias misit? Illud igitur manifestum est, nihil eodem loco mansisse quo genitum est, aßiduus humani generis discursus est: quotidie noua vrbium fundamenta iaciuntur, noua gentium nomina prioribus extinctis aut in occasum cõuersis oriuntur. Hæc Seneca: Migrationum verò illarum exempla persequi infinitum sit, & extant plurima apud Pausaniam & Strabonem, aliosque qui de hoc negotio ex professo scripserũt. Quod verò ad linguarum rationẽ illam admirabilem attinet, etsi eæ in infinita propemodum varietate sint: omnes tamẽ Hebraica lingua (quæ in Heberi posteritate cum vera religione incontaminata permansit) vestigia aliqua retinuerũt. Cæterùm præter illam mutationis causam, quam Moses affert, Bodinus adhuc tres adijcit. Vna est in ipso*

Mutatio linguarum.

*pso*

*pso decursu temporis, quo non modò linguæ, sed etiam res omnes immutantur, ac tota rerum natura senescit. Ita Polybius scribit, anno minus quinquagesimo quàm ictum fœdus erat inter Pœnos & Romanos, verba fœderis, quæ ipse antiqua vocat, vix intelligi potuisse: carmina verò quæ in sacris ex vetere formula canebantur, à paucissimis intellecta. Sic videmus paulatim omnes omnium populorum linguas aliter atq; aliter mutari. Altera causa est in coloniarum ac populorum inter ipsos confusione. Argumento sit Italia & Græcia, quæ tot seculis puritatem Græci & Latini sermonis tenuerunt, totoq; terrarum orbe disseminarunt. Posteaquam verò Scythæ & Gothi vtramq; inuaserunt, tanta mutatio cōsecuta est, vt nec Latium, nec Attica vbi nunc sunt, vnquam extitisse videantur. Sic Parthi Persicum: Arabes Punicum: Turcæ, Tartari, Sclaui Græcū: Latini Gallicum & Hispanicum sermonem deprauarunt. Tertia linguæ mutādæ causa in ipsa regionis natura versatur. Proprium enim est omnium populorum, qui magis inclinant ad septentrionem, voces consonantibus asperrimè collisis, sine vocalibus, ex intimo pe-*

*mo pectore & crebras aspirationes efferre, idq; propter summam spirituum vim & impetum caloris. Nam Saxones & accolæ Balthici maris vbiq; ferè medias pro tenuibus & aspiratas pro medijs pronunciant: cuiusmodi sunt hæc, Ber theum ferum pibimus ponum finum. Australes verò quibus temperatus est calor & spiritus debilis, lenissimè pronunciant: lenius etiam fœminæ, quòd viris spiritum & calorem habent debiliorem. Omitto loci cuiusq; propriam & insitam ex aquis naturam, quæ voces ac linguas immutant: vt in agro Labdano Galliæ Narbonensis omnes Labdacismo balbutiunt. Ita Sabini veteres fœdum pro hœdo, fircum pro hirco dicebant, quemadmodum Varro scribit: ita & Vascones hocum pro foco, hilium pro filio: ita quoq; Parisij & Aurelij veterum Hetruscorum more, Valesium & Fusium pro Valerio & Furio vsurpant. Ex his ergo tribus potissimum causis tot linguarum dissimilitudines oriuntur. Magna itaq; statim post diluuium mutatio loci, magna etiã linguæ, sed omnium maxima religionis facta est: & iam inde duæ ecclesiæ extiterunt: vna vera, quæ vnà cũ primæua lingua apud Heberi*

Mutatio religionis.

*beri posteros permansit: altera spuria, quæ per amplissimũ mundi theatrum sparsa longè lateq; se extẽdit. Error enim fœcundus est & vt Aristoteles ait, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος καὶ τἄλλα συμβαίνει. Vera itaq; ecclesia vnicum Deum conditorem illum cœli & terræ, spiritum infinitũ, optimum maximũ agnoscebat, in semine mulieris contrituro caput serpentis acquiescebat: promißionibus Adamo, Noacho, Abrahamo, Isaaco, Iacobo factis nitebatur: at ecclesia illa spuria relicto vno illo Deo, fœdam & infinitam πολυθεΐαν introduxit, & , vt D. Paulus ait, gloriam incorruptibilis Dei in efformatam mortalis hominis imaginem & volucriũ & quadrupedum & reptilium mutauit: diuinosq; honores & sacrificia illis obtulit. Etsi autem sapientiores Ethnici reprahendebãt quosdam errores: vt Plato in Epinomide inquit, Oportet colere Deum οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλ' ἀληθείᾳ λαμβάνοντας ἀρετὴν, & Aristoteles, χαίρει ὁ θεὸς οὐ ταῖς δαπάναις τῶν θυομένων, ἀλλὰ ταῖς εὐσεβείαις τῶν θυόντων: & Zaleucus, οὐ θεραπεύεται θεὸς δαπάναις, ἀλλ' ἀρετῇ καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων: tamẽ neruos errorum retinebant, idolatriam scilicet*

*licet in cultu quem Dijs gratum præstare se putabant: unde factum est ut ritus sacrificiorum à patribus acceptos, deprauata uel potius omnino ex animis amissa reconciliationis propter semen mulieris promißione, amplificarint, nouis & à se excogitatis ceremonijs cumularint: mactationes quoq; humanarum victimarum excogitarint. Hinc etiam ethnicorum poëtarum exclamatio in illum gentilium errorẽ: ac præcipuè Iuuenalis in Aegyptiorum superstitiones:*

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat.
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus ibim:
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atq; uetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem uenerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas uiolare ac frangere morsu,
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum iugulare capellæ.

**Adiunctio gentiũ ad ecclesiam.** *Verùm enimuerò quanquam à vera Semi & Heberi ecclesia, gentes segregatæ & in plurimas sectas diuisæ erãt: ex omnibus tamen nationibus miranda Iehouæ bonitate aliqui*

semper

*ſemper vocati & ad tabernacula Semi aggregati fuerunt. Sic ex Chaldæis Nabogdonoſor rex & filius eius Euilmerodach cum alijs multis in exilio Babylonicô Danielis prophetæ confeßione & doctrina ad veri Dei agnitionem adducti ſunt. Sic Darius Medus, ſic Cyrus rex Perſarum, ſic Artaxerxes Longimanus, veræ eccleſiæ inſerti ſunt. Supereſt vt de Monarchiarum conſtitutione pauca dicamus: earumq́; definitionem, cauſas, prædictionem, numerũ, ſucceßiones, conuerſionesq́; conſideremus. Eſt autem Monarchia vnius imperium ad communem vtilitatem tendens. Monarchiarum autor ſeu cauſa efficiens fuit Nimrodus, vt ſupra diximus: finis eſt, ſalus humanæ ſocietatis. Imperia enim conſtituta ſunt & diſciplinæ cauſa & propter defenſionem communis ſocietatis. Nam cum impunè ſcelerati graſſarẽtur & ſocios receptusq́; haberent, neceſſe fuit durius illos coërcere. Itaq́; oeconomicũ & paternũ imperiũ quod initio fuit, mutatũ eſt in herile, & ciuile, vt qui ſe πατρικῶς gubernari nõ paterẽtur, δεσποτικῶς & πολιτικῶς in officio continerentur. Forma autem eſt in politia legitimi cœtus coniuncti ciuitatibus, pagisq́;*

Monarchiarũ cõſtitutio.

H &

*& sociati legibus, iudicijs, præsidijs, armis, militibus, pœnis. De quibus rebus nec breuiter dici potest & separatim in singularum monarchiarum historijs de his disserendi locus est. Prædictio autem & numerus quatuor Monarchiarum extat apud Danielem cap. 7. Vidi in visione mea, ait, & ecce quatuor venti cæli pugnabãt in mari magno & quatuor bestiæ grandes ascendebãt de mari: prima quasi leæna: secunda similis urso: tertia similis pardo: quarta autem bestia terribilis erat & mirabilis & fortis nimis. & habebat cornua decem: & ecce cornu paruum ortum est de medio eorum & tria de cornibus auulsa sunt ab eo. & ecce oculi, quasi oculi hominis, erant in cornu isto & os loquens magnifica & cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos & præualebat eis. Quibus verbis Daniel non tantum numerum, sed & successionem monarchiarum illustri animaliũ quatuor pictura complexus est. Sic enim à Zonara numerantur quatuor præcipuæ Monarchiæ. Prima est Chaldæorum, qua & Assyrij vicini cõprehenduntur. Secunda est Persarum. Tertia Alexandri & successorum eius. Quarta Romanorum, cuius pedes par-*

*tim*

*tim ferreos, partim luteos Daniel facit. Per decē aūt cornua, decē regna impio Rom. subiecta intelligūt, vt sunt Syria, Aegyptus, Asia, Gracia, Italia, Gallia, Hispania, Africa, Germania, Anglia. Alij intelligūt decem prouincias Consulares, in quas diuisum fuisse totum imperium Strabo in fine lib. 17. testatur: Per paruum cornu intelligunt Turcicum imperium, & hæc opinio cap. 13. Apocalypseos confirmari videtur. De causis verò mutationum & conuersionum in Monarchijs, regnis & Rebuspubl. multa sapienter disputat Aristot. lib. 5. Polit. & ἀρχὴν στάσεων ex quibus mutationes vel interitus Rerump. sequantur, inquit esse ἀνισότητα. μόνοι γὰρ μόνιμον εἶν τὸ κατ' ἀξίαν ἴσον καὶ ἔχειν τὰ αὐτῶν. Hæc etsi verè & sapienter dicuntur: tamen superiorem & principalem causam conuersionum sola sacræ literæ indicant: videlicet idolatriam, iniustitiam ac tyrannidem gubernatorum & omnis generis peccata & flagitia in principibus, sacerdotibus & populo. Itaq; conuersiones omnes & conuersionum exempla ad hæc loca referri potissimum possunt, vt sunt blasphemia, periuria, tyrannis, seditio, libidines, rapinæ, fœdera dissimiliū,*

*iniuria, πολυπραγμοσύνη, cuius causæ sunt æmulatio, pertinacia, ambitio, καινοζηλία. Sed vt Noachi historiam concludamus: ex superioribus liquet, ecclesiæ historiam omnium antiquissimam esse & hinc Græcorū vanitatem & puerilitatem deprahendi. Vnde rectè sacerdos Aegyptius (vt apud Platonem in Timæo) Soloni obiecit Græcos sibi pueros videri, quòd antiqua ignorarent. Melius etiam Christianus ille, qui Græcis obiecit Mosen legislatorem Dijs Græcorum antiquiorem esse. Etsi enim Herodotus in Euterpe ab Aegyptijs ait decem millia annorum recenseri: & Diodorus narrat Chaldæos numerare obseruationes annorū 473000. vsq. ad Alexandri ἀνάβασιν: tamen hæc fabula à Callisthene refellitur, qui ad Aristotelem cognatum suum 1903. solummodo annorum obseruationes ex Babylone misit. Antiquissimam temporum seriem Chaldæi & Babylonij ex motuum cœlestium certissimis & perpetuis multorum seculorum obseruationibus consignatā habere existimati sunt. Aristoteles igitur capta per Alexandrum Babylone anno mundi 3634. quascunq. nancisci potuit Chaldæorū antiquitates & obserua-*

Græcorū vanitas & puerilitas.

*seruationes Astronomicas, conquiri curauit: quas 1903. annos non superasse Simplicius alicubi commemorat. Incidit autem huius summæ initium retrò numerando in annum ab initiò mūdi 1731. hoc est, ferè bis millesimum. Quare tot annis vetustissimam hanc Babyloniorum chronologiam, Mosis historia antecedit, vt verè à Iulio Africano dictum sit: Quicquid apud Græcos vel alias gentes, vetustatis laude excellit: id omne longo interuallo Mosen sequitur. Nihil ferè antiquius habet Græcia ipso Danao & Cadmo, quorum alter gentis conditor, alter literarum repertor appellatur: horum tamen tēpore in summa rerum gestarum gloria florebant iam Hebræi: Chaldæorum verò ac Aegyptiorum imperia penè consenuerant. Nulla apud Græcos Herodoti historia antiquior series annorum & rerum gestarum extat. Is verò annorum seriem illam à Gyge Lydorū rege, Crœsi abauo inchoat, qui circa annum mundi 3250. regnare cepit. Tot annis Mosaica historia Herodoteam præcessit. Et vetustissima Ptolemæi epocha, est initium regni Nabonassaris, à quo ad Alexandri mortem 424. annos solummodo numerat lib. 3.*

*Almagesti cap. 8. Græcæ sanè historiæ omni annorum accurata distinctione carent ante initium Olympiadum, quod in annum mundi 3188. incidit. Ad hanc puerilitatem Græcorum, accedit ipsorum etiam vanitas, qui veras historias fabulis inuoluerunt, & fidem rerum gestarum figmentis eiusmodi eleuarũt: ita vt Epiphanius grauis inprimis autor, interuallum illud, quod à diluuio ad primam Olympiadem, id est fermè ad Romam conditam vsq; extenditur: mythicum seu fabulosum: illud autẽ quod hinc ad Varronis ætatem vsque est, historicum appelari scribat. Sic Græci Noachi cataclysmum ab Hebræis furati ad Deucalionem transtulerunt, vt scribit interpres Pindari Olympiorum oda nona. Sic Herodotus vetustissima in mundo oracula esse scribit Iouis Hammonis in Lybia, & Iouis Dodonæi in Græcia, quæ ambo à duabus columbis ex Aegypto prouolãtibus monstrata sint. Hæc ex diluuij historia manasse & à Græcis deprauata esse apparet. Sic ijdem turrim Babylonicam in Gigantum illas insanas substructiones commutarunt. Sic ex Noacho, qui primus vitis plantauit, Bacchum illum potorum Deum fec-*

*fecerunt: Sic ex eodem Ianum bifrontem excogitarunt, quod αὐτόπτης & inspector primi & secundi mundi fuisset: ideoq; in nummis ex vna parte capitis effigies, ex altera verò nauis exprimebatur, vt Macrobius scribit. Sed talia figmenta persequi infinitum esset: & iam ab historia Noachi ad Abrahamum properandum est.*

## LIBER III.

### *DE ABRAHAMO.*



*Ertius humani generis parens meritò vocatur Abrahamus, & quidem in primis spiritualis. Triplices enim Abrahami filij sunt. Alij secundum carnem tantum, vt Iudas, Caiphas, Pharisæi: alij secundum carnem & promissionem vt Isaac, Simeon, Ioannes: alij secūdum promissionem tantum, vt Gentes. E quibus generibus primum abiectissimum est, alterum præcipuo honore dignandum: in tertio nos Gentiles censemur. Quod cùm ita sit, diligenter ille animi fideiq; nostræ parens nobis meditandus erit, Nescio enim quomodo præclara*

exempla altius in animos penetrant & ad virtutis imitationē ardentius inflammant, præcipuè eorum quibus nos nostræ vitæ & stirpis originem adscribimus. Summum autem Abrahami elogiū cap. 44. Ecclesiastici extat vbi magnus pater fidelium dicitur, & cui nullus honore par fuerit, quiq; legem domini seruauerit. Itaq; fœdus cum eo Iehoua fecit. In tentationibus quoq; constans fuit, vnde iureiurado illi Deus promisit benedictionem gentium in semine eius: quodq; velit eum multiplicare sicut arenam terræ & stellas cœli. Sed vt tam amplam amplissimi viri historiam certis generibus constringamus, de Abrahami Fide primò dicemus: postea de Fidei illius actionibus & clarissimis virtutibus, quæ ex puro illo fonte redundarunt. Abraham quidem cum patre Thare

I Fides Abrahami.

principio in Vr Chaldæorum habitauit, & vt Iosuæ 24. dicitur idola coluit & Deos externos adorauit. Sed Deus pro sua diuina bonitate ex idolatria eum liberauit, & sui cognitione eum donauit. Fuit autem Vr Chaldæorum vrbs Babyloniæ, quam à Ptolemæo Orchoam nominari existimant: quæ habet gradus longitudinis 78.30. lat. 32.40. Hebraicè V

*cè Vr Chasdim, id est, ignis dæmonum seu ignis sanctus quem, quia igni delapso de cœlo victimas incensas esse audierant, Chaldæi velati Deum colebant. Hic ignis à Plutarcho in vita Alexandri & Artaxerxis nominatur Orimasda: & extat eadem appellatio in Agathia lib. 2. Verùm Abrahamus ad veræ religionis lucem vocatus & superstitionum pertæsus ex Vr Chaldæorum discessit: qua de re Iosephus lib. 1. cap. 8. mirifica scribit. Abrahamus, inquit, vir is fuit, qui & omnium rerum intelligētia præstaret, & facilè audientibus persuaderet, neq; in ijs falleretur, de quibus coniectaret. Propterea virtute sapientiæ cæteris præstantior habitus, constituit vulgò receptam de Deo persuasionem conuellere & commutare. Ergo primus audet affirmare vnū esse Deum vniuersorum opificem: de cætero si quid ad fœlicitatem conferat, id non nostris nobis viribus, sed illius voluntate contingere. Hoc verò colligebat ex terræ et maris affectionibus, tum eorum quæ circa solem ac lunam, ac omnium quæ circa cælum contingerent: esse nimirum potentiam quandam, quæ his adsit & prouideat singulari ordinis obseruatio-*

*ne. Hac autem cum destituerentur homines, palam esse quæcunque ad nostram vtilitatem attinet, non pro nostra ipsorum facultate, sed pro Dei iubētis imperio & potestate suppeditari. Quapropter huic vni honorem deberi, huic gratias agi oportere. Quamobrem cum Chaldæi & Mesopotamij cæteri cōtra ipsum mouerentur, consilium migrandi cepit, & voluntate auxilioque Dei fretus Cananæam tenuit, vbi sedibus positis Deo struxit aram & hostias mactauit. Meminit autem patris nostri Abrahami Berosus quoque, non tamen eum nominans, his verbis: Post diluuium autem decima ætate apud Chaldæos erat quidam iustitiæ cultor, vir magnus, & cœlestium rerum peritus. Magnum itaque hîc exemplum est & ad imitandum præclarum, vt qui errore aliquo & idolatria irretiti fuerunt, meliore & feruentiore pietate culpam redimant, sanctioremque aram duplicent & spirituales hostias gratiarum actionis ac synceri affectus Deo offerant. Verùm D. Paulus ad Hebr. cap. 11. hanc Abrahami fidem mirificè etiam celebrat, cùm ait:* πίστει καλούμενος ἀβραὰμ ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν εἰς τὸν τόπον ὃν ἤμελλε λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν, καὶ.

ἐξῆλθε,

ἐξῆλθε, μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται. πίστει παρῴ-
κησεν εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας ὡς ἀλλοτρίαν,
ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ ἰσαὰκ καὶ ἰακὼβ τῶν
συγκληρονόμων τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς· ἐξε-
δέχετο γὰρ τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν, ἧς
τεχνίτης καὶ δημιουργὸς θεός. *Sed ut hanc A-
brahami uiuam virtutem rectius intelliga-
mus, duas eius partes ſeparatim conſidera-
bimus, promiſsionem videlicet à Deo factã
& Fiduciam, qua Abrahamus in promiſ-
ſione illa acquieſcebat. Promiſsio igitur du-* Promiſsio.
*plex fœdus cõtinebat, & illius fœderis ſignũ.
Fœdus enim partim ſpirituale & æternum
fuit, partim corporale. Spirituale fœdus cum
alibi, tum præcipuè cap. 17. continetur: quod
his uerbis Iehoua cum Abrahamo pagit: E-
go El Schaddai, ambula coram me & eſto ꝑ
fectus ſeu integer & percutiam fœdus inter
me & te, & multiplicabo te valde: & pater
eris multarum gentium, ideoq; vocaberis
Abraham & vxor tua Sara. Fœdus perpe-
tuum tecum & cum poſteris tuis faciam, vt
Deus tuus & poſterorum tuorum ſim. Hæc æ-
terni fœderis formula eſt, qua Deus non ſo-
lum cum Abrahamo, ſed & cum poſteris e-
ius & tota eccleſia paciſcitur, vt ſolum ſe Ie-*

*houam*

*houam pro suo Deo colāt, vicissimq; promittit se illorum Deum fore in perpetuum, & aggregaturum ad illud fœdus etiam gentes: vt D. Paulus interpretatur cap. 4. ad Rom. Ideò (ait) ex fide, gratis, vt firma sit promissio omni semini Abrahæ, non ei tantum q ex lege est, id est circumciso, sed etiam quod ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, pater multarum gentium constitui te. Quibus verbis apostolus ille gentium indicat, omnes fide amplectentes promißionem de semine traditam Abrahæ, cum eodem benedicendos esse & omnium bonorum cœlestium participes futuros, siue sint Iudæi circumcisi, siue gentes incircumcisæ. Ideoq; nomini Abrahami (qui antea Abram dicebatur) syllaba adijcitur vt nominis sui notatione illa promißionem sibi factam sæpius in memoriam reuocaret. Saræ verò (quæ antea Sarai id est domina mea dicebatur) litera vna detrahitur, ut non amplius vnius gentis, sed absolutè omnium gentium domina vocaretur. Atque hæc de spirituali fœdere. Temporale verò fœdus fuit in promißione corporali terræ Canaan, quæ certa ecclesiæ sedes & certus lo*

*cus*

*cus esset, in quo Christus nasceretur & pro totius mundi peccatis victimam se patri offerret. Et quanquam pleræq; promissiones in Genesi de corporalibus reb. loqui videantur: tamen semper corporalibus etiam prælucere debet fides, sine qua quicquid est, peccatum est. Sed quis melior interpres aut huius rei arbiter est D. Paulo 11. ad Hebr. qui hæc ad fidem in Christum manifestè refert? Secundū fidem (ait) mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati, postquam credidissent & amplexi essent, ac professi fuissent se hospites & aduenas esse in terra. Nam qui hæc dicunt, palàm ostendunt se patriam quærere. Quod si illius memores fuissent, ex quo exierāt, habuissent tēpus ad reuertendum. Nunc autem meliorem expetunt, hoc est cœlestem. Quapropter non erubescit ipse Deus vocari Deus eorum. Parauerat enim ei vrbem. Cùm igitur, vt Stephanus act. 7. loquitur, Abraham in Cananæa ne vestigium quidem pedis habuerit, οὐδὲ βῆμα ποδός: necesse est cum Paulo spiritualiter sentire. Atq; hæc quidem duplicis fœderis cum Abrahamo & posteris eius summa est: Verùm Iehoua non solum fœdera sancire*

cire cum suis solitus est, sed semper quoq; ceremonias quasdam publicas, fidem promissionis & expectationem testificantes adiunxit. Sic igitur hîc etiam signum initiale populo suo proposuit in Circumcisione: eamqúe his verbis cõcepit: Tu autem pactum meum custodies, tu & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est autem pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, atq; inter semen tuum post te, vt circumcidatur in vobis omnis masculus. Circumcidetis autem carnem praeputij vestri, eritq; signum pacti inter me & vos. Omnis itaq; masculus octo dies natus circumcidetur in vobis. Cùm autem ordinarium & solenne Hebraeis sacramentum circumcisio fuerit, & in eius locum baptismus successerit: paulò vberius causas, species, subiectum, adiuncta cõsiderabimus. Fuit igitur circumcisio testamentum, vt 7. Act. nominatur, vel ceremonia à Deo Hebraeis instituta, qua omnis masculus octo dies natus in carne praeputij circumcidebatur, vt esset signum pacti cum Iehoua & sigillum iustitiae fidei. Haec definitio causas circumcisionis complectitur. Autor seu causa efficiens Deus est, vt in hac Abrahami historia manife-

Signũ pro missionis.

*nifestum est. Ioëlis tamen 2. cap. Moses circumcisionem tradidisse dicitur, quia is postea circumcisioni purificationes & sacrificia in Leuitico addidit. Forma est in ipsa ceremonia: fiebat enim octauo die, in præputio & quidem cultris lapideis, vt Exod. 4. & Iosuæ 5. apparet: quo ritu præcipuè in petram Christum allusum est, ad quem (tãquam ad cotem cultrum) actiones nostras acuere & affectus prauos recidere ac amputare debemus. Finis verò princeps fuit, vt signum esset pacti diuini cum Abrahamo & posteris eius & sigillum iustitiæ fidei: vt D. Paulus 4. Rom. loquitur,* σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην. *Fuit autem præcipuè circumcisio in hac parte hominis instituta, vt de futuro semine perpetuò commonefaceret. Paulus verò 2. ad Rom. duplicem facit circumcisionem, Carnis & Cordis,* σαρκὸς καὶ καρδίας. *Circumcisionẽ carnis vocat etiam circumcisionem literæ: cordis autem spiritus* περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι: *illamq; apertam, hanc occultam vocat: & de*

*carnis*

*carnis quidem circumcisione hos duos syllogismos concludit:*

Circumcisio carnis prodest ijs qui legem seruant. περιτο- μὴ ὠφελεῖ ἐὰν νόμον πράσσῃς.
At Iudæi legem non seruant: παραβάται νόμου εἰσί.
Iudæi igitur non sunt iusti circumcisione, ἡ περιτομὴ ἀκροβυσία γέγονεν. Item,

Qui in litera hærent, non sunt iusti:
At Iudæi in litera hærent,
Iudæi igitur non sunt iusti. Vel
Iustitia ex spiritu, non ex litera contingit,
At Iudæi non in spiritu, sed in litera hærent:
Iudæi igitur non sunt iusti.

*Circumcisionis autē eius quæ fit spiritu, meminit etiam in 2. ad Coloss.* ἐν ᾧ (χριστῷ) περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός, ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ χριστοῦ. *Et Deuteron.10. & 30. Ierem.4.6. & 9. eiusdem mentio fit: & D. Stephanus protomartyr. act.7. Iudæos.* σκληροτραχήλους, ἀπεριτμήτους τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν *vocat. Subiectum igitur circumcisionis fuit præputium hoc est caro, nec ea tantum, sed & cor ipsum, hoc est affectus carnis, qui ex corde potissimum ebulliunt & succrescunt. Ne igitur caro seu affectus carnales homini imperarent, eiquè præualerent, iubebantur*

*præ-*

*præcidi & refrenari, ac præcipuè ad cotem Christum exacui. Et quanquam in primis hæc ceremonia ad Abrahami posteros pertinebat, diuinæ tamen illi ciuitati etiam exteri hoc signo inserti sunt, quos proselytos appellabant, vt constat ex 2. cap. Act. Ideoq; in lege diuini pacti etiam peregrini, vernæ & emptitij compræhẽduntur. Excludebantur autem mulieres, vt intelligeretur semen illud venturum non muliebris, sed masculini sexus futurum esse. Quod verò ad tempus adiunctum attinet, dupliciter id consideratur, nimirum quoad initium & quoad finẽ. Initium circumcisionis incidit in annũ mũdi 2048. seu 25. annũ peregrinationis Abrahami. Finis eius fuit in Christi circumcisione, ideoq; postea in concilio apostolorum abrogata est cap. 15 Actorum & à Paulo in epistola ad Galatas. Nam is propter τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους Titum Græcũ noluit circumcidi, vt exemplum libertatis ederet, vt est in cap. 2. & in cap. 5. ait Christum nihil prodesse nobis, si circumcidamur. Nam in Christo Iesu neq; circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed fides per dilectionẽ operans.* ἐν χριστῷ ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει

οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ πίστις δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη. Quòd autem in Mose hîc circumcisio æternum fœdus vocatur, id inde est quòd ea in singulis æterni fœderis illius, quo ad omnē æternitatem à Deo recipiebantur, signum fuit: neq; hæ argutiæ quicquam Iudæos adiuuant, circumcisionem non abolendam existimātes. Accedit & alter eorum error, quòd è circumcisione iustificationem quærebant, quam pharisaicam opinionem grauissimè damnat Paulus 2. & 4. ad Rom. & ad Galatas de abrogatione circumcisionis ideò tam acriter pugnauit, ne lux doctrinæ de iustitia fidei extingueretur: & Petrus Act. 15. cū præcipua in illo apostolorum concilio de circumcisione quæstio esset, ait, Credimus nos per gratiam domini nostri IESV CHRISTI saluari, quemadmodum & patres nostri saluati sunt. Caterùm propter circumcisionem Iudæi à gentibus etiam derisi & contempti fuerunt. Hinc Horatio Iudæus Apella, Persio curtus, Martiali recutitus, Catullo verpus dicitur. Hactenus igitur Fidei Abrahami alteram partem, promißionem scilicet & promißionis signum habemus: sequitur altera pars, fiducia scilicet, seu πληροφορία

*ρία,id est,certa persuasio: qua in promissione diuina acquiescebat. Hanc fiduciam D. Paulus 4.ad Rom. magnificè describit, & ideò à primo illo dicto (quod extat 15. Genes. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iustitiam) orditur, vt ostendat doctrinam de Iustitia fidei, quæ tunc voce Euangelij renouabatur, nō recens inuentum esse, sed perpetuum veræ Dei ecclesiæ consensum: & omnes patres fide, id est, fiducia misericordiæ propter Messiam promissæ, saluatos esse. Et sanè Paulinos syllogismos in hac disputatione subducere operæpretium sit: quorum hîc primus est:* Παρρησία Abrahæ.

Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, non potest gloriari apud Deum.
Sed gloriari potest apud Deum: approbationem addit ex Genes.cap. 15.
Ex operibus igitur non fuit iustificatus.

*Secundus ex approbatione præcedentis assumptionis oritur: Nam*

Cui aliquid imputatur ex gratia, ei nō imputatur ex merito: è contra ei qui operatur, merces secundum debitum imputatur.
Abrahamo autem iustitia imputata est ex gratia.
Non igitur imputata est illi ex merito: approbatio complexionis ex Ps. 32. additur.

*Tertius est ab adiuncto tempore sumptus: Nam*

Si p legẽ Abrahamo iustitia imputata & hæreditas mundi promissa esset: nõ in præputio, sed in circumcisione imputata iustitia & hæreditas promissa esset.

At non in circumcisione illi imputata fuit, sed in præputio. Signum enim circumcisionis accepit σφραγῖδα iustitiæ fidei q̃ fuit in p̃putio, ut esset pater omniũ, non solùm eorum qui genus à circumcisis ducerent, sed etiam eorum qui ingrederẽtur uestigijs fidei quæ fuit in præputio Abrahámi.

Itaq; nec imputatio nec promissio Abrahamo per legem contigit, sed per iustitiam fidei.

*Quartus statim sequitur: Nam*

Si hæreditas est ex lege, fides inanis & promissio irrita est. Nam lex iram operatur. Siquidem ubi nõ est lex, ibi nec transgressio est.

At fides non est inanis, nec promissiones irritæ, quæ ad utrumq; semen Abrahami: cum illud ex lege, tum hoc ex fide pertinent.

Hæreditas igitur non datur ex lege, sed ex fide.

*His tam validis argumentis postquam Paulus comprobauit Abrahamum fide iustificatum esse: deinceps naturam fidei seu πληροφορίας describit exemplo eiusdem Abrahami, eamq; diuinæ potentiæ similem facit: Nam*

Quæ uis Dei est in faciendo, eadem etiam fidei est in credendo. Est enim πληροφορία, id est certa persuasio, quæ

*quæ gloriam Deo tribuit & credit Deum posse præstare quæ promisit.*

*At Dei uis est, uitæ restituere mortuos, ac ea quæ nō sunt, uocare tanquam sint.*

*Fidei ergo uis est, hæc eadem tam firmiter credere ac si iam ita in rerum natura essent, exemplo Abrahami qui præter spem sub spe credidit, παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσε. Nec enim infirmatus fide, considerauit suum ipsius corpus iam mortuum, cum centum ferè natus esset annos: sed ad promissionem Dei non hæsitauit ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo: certā persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem posset etiam præstare. Quapropter etiam imputatum est illi ad iustitiam.*

*Hanc tam splendidam de Abrahami πληροφορίᾳ concionem, Paulus tandem concludit & ad nos imitationem transfert, seu, ut vulgo loquuntur, ad vsum traducit & nobis accommodat, hoc ferè syllogismo:*

*Qualis Abrahami fides fuit, talis & nostra esse debet. Prosyllogismus additur ex fine. Hoc enim exemplū & exempli regula, non propter Abrahamum tantū, sed & propter nos scripta sunt.*

*At Abrahami fides fuit πληροφορία, id est certa persuasio qua credidit contra spem sub spe & gloriam Deo tribuit, credens quod is qui promisit, præstare etiam posit.*

*Talis ergo & nostra fides esse debet.*

II. Fidei actiones. *Sed ex hac tam praeclara fidei arbore, quales fructus succreuerint videamus. Actiones igitur Abrahami per fidem sanctificatae, non incommodè in sacras & prophanas distingui possunt. Sacrae actiones cum aliae multae haud dubiè fuerũt, tũ praecipuè duae,*

Immolatio §. 3. *Circumcisio de qua superius: & Immolatio filij Isaac. Nam cùm ex Sara effœta coniuge contra cõmunem naturae legem filium Isaacum Abrahamus suscepisset, à Iehoua tentatus & nocturno somnio filium mactare ac sibi immolare iussus est. Cùm igitur manè experrectus, ligna & ignem ad sacrificium comparasset, ac tridui iter progressus ad Moriam montem (qui postea mœnibus Hierosolymae inclusus, templo per Solomonem aedificato exornatus est, vt habetur 2. Paral. 3.) peruenisset, relictis vernis ad montis radicẽ, cum filio Isaaco ascendit: cumq; iam pyrae impositum, apprahenso gladio iugulaturus esset: repentè Iehoua Abrahamo in summis animi angustijs versanti velut ἀπὸ μηχανῆς apparuit, & tentationi ipsius exitum inopinatum mira περιπετέιᾳ attribuit. De cœlo enim angelus domini clamans, Caue, ait, ne efferas manum puero. Iam enim mihi satis per-*

*perspecta est religio & pietas tua, qui propter me non peperceris filio tuo, eiq́ue unico. Vidit autem Abrahamus arietem in dumo cornibus hærentem: hunc igitur Iehouæ gratiorem victimam immolauit & obtulit. Magnum sanè facinus & in quo multa obseruare liceat: & quidem primò Abrahamicæ* πληροφορίας *exemplũ, quod D. Paulum pro diuino ipsius spiritu minimè latuit, cùm ad Hebræos cap. 11. scriberet. Sic enim ait,* πίστει προσενήνοχεν ἀβραὰμ τὸν ἰσαὰκ πειραζόμενος, καὶ τὸν μονογενῆ προσέφερεν ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος, πρὸς ὃν ἐλαλήθη, ὅτι ἐν ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. λογισάμενος ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ θεός. ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. *Et sanè durum hoc Abrahamo haud dubiè fuit, filium suum & eum quidem unicũ, extrema senecta sibi natum, quem tenerrimè amabat, qui risus, hoc est, alacritatis & lætitiæ occasio parentibus fuerat, quiq́ue secundum Iosephum XXV. annum agebat, paternis manibus trucidari & sanctum illius innocentemq́ue sanguinem effundi, ac viuo videntiq́ue funus duci. Quid igitur aliud misero anxioq́ue parenti ante oculos, quam acerbissima filij mors versabatur?*

*tur? vnde illi sperare licuisset, fore vt hunc filium suum similitudine & typo resurrectionis sibi redditū, saluum viuumq́ secū domū reduceret? Verū non solū saluū viuumq́ reduxit, sed & nouis maioribusq́ promißionib. oneratus rediit. Angelus enim Iehouæ denuò illi apparēs, Iuraui per meipsum, inquit Iehoua. Quoniam hoc fecisti, nec filio tuo vnico pepercisti, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & arenā in litore maris, & semen tuū poßidebit portas inimicorum suorum. Quam promißionem amplißimè explicat D. Paulus cap. 6. ad Hebræos:* ἵνα μὴ νωθροὶ γένησθε, μιμηταὶ δὲ τῶν διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας. τῷ γὰρ ἀβραὰμ ἐπαγγειλάμενος ὁ θεός, ἐπεὶ κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ, λέγων, ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σε καὶ πληθύνων πληθυνῶ σε. καὶ οὕτω μακροθυμήσας ἐπέτυχε τῆς ἐπαγγελίας. ἄνθρωποι μὲν γὰρ κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος. ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος ὁ θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. ἵνα διὰ δύο πραγμάτων ἀμεταθέτων, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύ-

σασθαι

σαθαι θεόν, ἰσχυρὰν παράκλησιν ἔχωμεν οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος· ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος, ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς. *& ad Galat. cap. 3.* τῷ δὲ ἀβραὰμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει, καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστός. *Nec verò quicquam obstat dictum Iacobi cap. 2.* θέλεις δὲ γνῶναι ὦ ἄνθρωπε κενέ, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν; ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνενέγκας ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον; βλέπεις ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη; καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα, ἐπίστευσε δὲ ἀβραὰμ τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην καὶ φίλος θεοῦ ἐκλήθη. ὁρᾶτε τοίνυν, ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον; *Nam verbum* δικαιοῦσθαι *iustificari idem est quod declarari seu ostendi iustum, vt intelligamus obedientiam Abrahami offerentis filium, indicium &* τεκμήριον *veræ & efficacis fidei in Abrahamo fuisse. Is enim filium suum offerens, ea fide se præditum demon-*

 *strauit,*

*strauit, quæ minimè esset operum inanis, ac proinde verum sibi fuisse præbitum testimonium, cum diceretur fides ei ad iustitiam fuisse imputata. Atq; hæc de sacris fidei actionibus. Prophanæ autem, sed tamen fide iam sanctificatæ, partim oeconomicæ seu priuatæ fuerunt, partim politicæ seu publicæ. Fidei ergo exercitia oeconomica in eius peregrinationibus & exilijs, in diuitijs acquirendis, in philadelphia cum fratre Lotho, in bigamia, in hospitalitate, in partu Saræ, eiusq; morte & secundis cum Cethura nuptijs videamus. Cùm igitur in Vr Chaldæorum vnà cum patre habitasset, inde euocatus, Carras vrbem Mesopotamiæ peruenit, sed hinc quoque Deo iubente egressus, peruenit in Canaæam & Sichimam transgressus, inter Bethel & Hai, non procul à monte Moria consedit, ibiq; tabernaculum fixit. Paulò autem pòst ex eo loco fame expulsus in Aegyptum & vltra eam, versus meridiem profectus est, ac cessante fame in eum locum vbi antea habitauit, rediјt. Mox & hinc exire à Deo iussus, habitauit in conualle Mambre, iuxta Hebron, quæ & Ciriatharbe dicta fuit, vbi Abrahamus, Isaacus, Iacobus & hospitium*

Peregrinationes Abrahæ.

*aliquan-*

*aliquandiu & sepulturam habuerunt. Abfuit autem ab Hierusolymis quinq́; milliaribus Germanicis versus occasum brumalem: media inter Hierosolyma & Gazam. Ex ea versus meridiem progressus, Geraræ peregrinatur, ibiq́; filio Isaaco augetur. Distat ea vrbs ab Hebrone duobus miliaribus, estq́; extrema terræ Canaan, sita inter duas solitudines, Sur & Cades. Tandem Hebronem rediit, ibiq́; cum Sara vxore sepultus est. Abrahamus itaq́; deserta patria, parentibus, cognatis, sola Dei promißione nitens, ostendit exemplo suo, vocanti Deo parendum, nec pericula vocationem & confeßionem sequentia, impatienti aut timido animo fugienda esse: & alioqui talia exilia ecclesiæ & piis frequentia, admonent nos de humani generis exilio, quo ex beatis fortunatisq́; paradisi sedibus deturbati, patriam inquirimus & vt cum poëta loquamur:*

Tendimus in cœlum, sedes ubi fata quietas
Ostendunt.

*Nam vt D. Paulus ait 13. Hebr.* οὐκ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν. *Quanquam autem multas molestias & plurimas calamitates exilium secum adducit,*

*cit, Abrahamus tamen id beneficentiæ exercendæ tanquam officinam quandam habuit, qua & Dei cognitionem longè lateq́ue propagare & bonarum artium vsuram alijs communicare posset. Nam (vt Zonaras scribit) cum fame Cananæam premente, in Aegyptum abiret, ibi ob sapientiam admirationi habitus, Arithmeticam & Astronomiam rudibus tum artium illarum Aegyptijs tradidit: quæ quidem à Chaldæis in Aegyptum, atq; inde in Græciam transisse perhibentur. Sed de hac re vberius Iosephus lib. 9. cap. 1. Fame Cananæam inuadente (ait) Abrahamus audita Aegypti vbertate, proficisci illuc decreuit, tum vt copijs eorum frueretur, tum vt sententiam sacerdotum de diuinitate cognosceret: aut secuturus illorum opinionem, si modò melior esset, aut ipse rectiora ijs commonstraturus. Itaq; vt est in eodem cap. paulò pòst, Rex Aegypti Pharaotes Abrahamo magna pecunia donato potestatem fecit congrediendi cum præstantissimo quoq; Aegyptiorum ac doctissimo: quo factum est vt ipsius virtus, virtutisq; fama illustrior fieret. Nam cum Aegyptij diuersis moribus agerentur, patriasq; leges inter se con-*

*se contemnerent, propterea'q; variè cõflictarentur, cùm quolibet ipsorum congrediens, eorumq; opiniones refellens, quas de patrijs rebus haberent, vanas nihilq; prorsus veritatis habere declarauit. Ob has igitur disputationes admirabilis factus est: cũq; magnã tam intelligendi quàm eloquẽdi, docendiq; facultatem præ se ferret, Arithmeticam, Astronomiamq; benignè illis communicauit. Nam ante Abrahami ad ipsos aduentum Aegyptij rudes erant huiusmodi disciplinarum, quæ à Chaldæis ad Aegyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem peruenerunt. Hæc Iosephus de Abrahami singulari in Mathematicis eruditione ac professione, deq; commigratione Mathematum à Chaldæis in Aegyptum. Quòd verò Moses ait Abrahamum fuisse valdè diuitem armentis, auro & argento: demonstrat antiquissimam honestissimamq; acquirendi rationem per pecuariam & agriculturam etiam sanctis patribus vsitatam fuisse: ostẽditq; à Deo approbari proprietatem & diuitias: nec œconomiam & honestam vel mercaturam, vel etiam aliam quamuis rei familiaris, vel conseruandæ vel amplificandæ rationem ab eo*

Diuitiæ Abrahami.

*dam-*

*damnari: in primis verò opes quasi exornationem à Deo addi Abrahamicæ fidei. Dominus enim est qui diuitem facit & pauperem: & Christus ipse Matth. 25. primò regnum Dei & iustitiam eius quærere iubet, sic enim fore vt externa illa adiumenta nobis omnia adijciantur. Vt autē, etiam ethnico poëta teste, fratrum gratia rara est: ita amoris fraterni vinculum conseruare planè est Abrahamicæ fidei. Sic cū inter Abrahami & fratris Lothi pastores contentio orta esset, quæ nubeculam aliquam amicitiæ inferre posset: Ne quæso sit iurgium (ait ad fratrem Lothum) inter me & te, Fratres enim sumus. Si ad sinistram ieris, ego ad dextram. Si tu dextram elegeris, ego ad sinistrā pergam. Quod verò Abrahamus duas vxores habuerit Saram & ancillam Agarem: id exemplum nequaquam ad imitandū propositum est. Excusatur aūt ita, quòd Abrahamus ob promissionem seminis sibi factam, quod ex sterili vxore sperare minimè posset, de voluntate vxoris concubinam duxerit. Et tamen hic quoq; œconomicæ miseriæ, vt odium vxoris legitimæ erga cōcubinam, & rixæ litesq; domesticæ, ideoq; inde secuta*

Φιλαδελφία

Bigamia.

*concu-*

*concubinæ cum hærede Iſmaële fuga, fidem Abrahami inſigniter exercuerunt. Inter reliquas autem virtutes quæ in Abrahamo luxerunt, præcipuè Hoſpitalitas reſplendet, qui peregrinis quanquam ignotis occurrens (vt eſt cap. 18.) eos ſecum domum deducit & humaniſſimè cibo ac potu reficit. Itaq́ D. Paulus haud dubiè huc alludẽs, ad Hebr. cap. 13. ait:* τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. *In hoc autem exemplo tria potiſſimum conſiderãda ſunt: primò quem hoſpitem hîc hoſpitio Abrahamus exceperit. Nimirum totã trinitatem, ſic enim veterum quidam apparitionẽ trium virorum ad trinitatem accommodant: idq́, eò probabilius eſt, quòd etſi tres diſtinctas perſonas Abrahamus intuetur: ſingulari tamen numero omnes tres compellat. Euſebius verò: primo omnium Prophetarum Abrahæ verbum Dei in figura humana apparuit & vocationem gentiũ promiſit & ſic apparuit ei Filius, quẽ & adorauit. Alterum eſt in apparatu conuiuij. Abrahamus enim in tabernaculum properans, Saram iuſſit ſumere tria ſata farinæ ſiligineæ, ex qua depſita faceret panes ſubcinericios. Ipſe verò ad bouile aduolans,*

Hoſpitalitas.

*vitulum mactauit, vt hoſpites tractaret opiparè. Satum verò menſura Hebræa nomen eſt, cõtinens 24. ſextarios. Panes autem ſubcinericij ſunt quos Græci ἐγκρυφίας vocant, qui incluſi teſtis & cineribus tecti inter carbones pinſebantur. Cæterùm de tribus farinæ ſatis extat elegantiſsima oratio Philippi in tertio tomo declamationũ, cuius hîc ſummam breuiter recitabimus, ſi prius illud monuerimus ex hoc Moſis loco Chriſtum parabolam ſumpſiſſe cap. Matt. 13. Simile eſt ait regnum cœlorum fermẽto, quod mulier miſcet tribus ſatis farinæ, vt tota maſſa fermẽtetur. Fermentum igitur inflans, rarefaciens & attenuans panem, ſignificat doctrinã Euangelij, qui eſt panis vitæ, inflans corda veris motibus, vera dilectione & ſimilibus. Tria ſata ſignificãt tres præcipuas partes hominis τὸ λογικὸν, θυμικὸν & ἐπιθυμητικόν, hoc eſt Mentem, Voluntatem & Cor, quæ commixta Euangelij doctrina renouantur. Fit autem hæc renouatio, cum fermentum commiſcetur Satis: hoc eſt, cùm doctrina Euangelij ſtudiosè legitur, auditur, cogitatur & in quotidiana inuocatione, in laboribus vocationis, in ærumnis & doloribus ad vſum*

*tranſ-*

*transfertur. Hæc ille. Sed quodnam symbolum persoluerunt illi hospites? Hoc enim tertium in illo conuiuio fuit. Iehoua, inquam, prolem conuiuatori Abrahamo promisit. Cùm reuisam te post annum, ait, eodem tempore, habebit vxor tua Sara filium. At illa cogitans quod vieta esset & Abrahamus consenuisset, in tabernaculo risit. Quæ enim supra vires humanas promittit Deus, ea ridicula iudicat humana ratio. Sed non impoßibile est apud Deum omne verbum. Itaq; eo tempore, quod prædixit Iehoua, Abrahamum Sara filio Isaaco auxit. Hîc igitur magnum rursus fidei in Abrahamo exemplū: de quo illustrißimum D. Pauli præconium est ad Rom. cap. 4.* μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας. εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ. ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ θεῷ. καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι. *Consimile est apud eundem 11. ad Hebræos.* πίστει καὶ αὐτὴ σάῤῥα δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκεν, ἐπεὶ πιστὸν ἡγήσατο τὸν ἐπαγγειλάμενον. διὸ καὶ ἀφ'

Partus Saræ anus effœtæ ac sterilis.

ἑνὸς ἐγεννήθησαν, καὶ ταῦτα νενεκρωμένου, καθὼς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ τῷ πλήθει, καὶ ὡσεὶ ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης ἡ ἀναρίθμητος. *Verùm exercendæ fidei maior occasio Abrahamo in duobus filijs obiecta est: orta ex æmulatione vxoris Saræ cõtra Agarem ancillam: & eius filium Ismaëlem: Eijce (ait ad Abrahamum dominus) ancillam & filium eius. Non enim erit hæres hic filius ancillæ, cum filio meo Isaaco. Hîc igitur D. Paulus splendidissimum commentarium instituit, eumq́ duplicem. Primus est 9. ad Rom. de ecclesia, eiusq́ propagatione: quòd scilicet Deus arcano suo consilio eligat quos sibi visum est. Sic enim ait:* οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ. οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ, πάντες τέκνα· ἀλλ᾽ ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. τουτέστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ· ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος· κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάρρᾳ υἱός. *Alter est 4. ad Galatas de discrimine Veteris & Noui Testamenti ex allegoria duarum coniugum & duorum filiorum Abrahami. Vt enim Agar ancilla secundum carnem gignit seruum Ismaëlem,*

*qui*

*qui non est hæres bonorum Abrahami: Sara autem libera, iuxta promißionem gignit Isaacum hæredem Abrahami. Ita lex facit seruos peccati & mortis: nec dat hæreditatē vitæ æternæ: Euangelion autē liberat à peccato & donat credentibus vitam æternam & omnia bona, quæ filius Dei testator nobis legauit & suo sanguine et morte obsignauit. Allegoria vtraq; ex communi & ciuili hominum consuetudine sumpta est. Prior ex differentia coniugis legitimæ, quæ in manū conuenit, & concubinæ, quæ in contubernio fuit. Illa enim socia est omnium bonorum & filios coniugi hæredes facit & suos: hæc horū nihil habet. Altera est è duobus testamentis sumpta: in quorum priore hæres ad certā politiam & legis per Mosen latæ obseruationem astringitur. In posteriore liberatio à peccatis & debitis legata est. Etsi autem primi testamenti magnum beneficium fuit: (gratißimum enim est scire certam Ecclesiæ sedem) tamen seruitus erat, hoc est, nondum erat summum illud bonum, noua scilicet & æterna vita, quæ est vera libertas in Nouo Testamento exhibenda. Sed erat ministeriū legis, prædicans iram aduersus peccatum &*

*coërcens disciplina & erudiens populū umbris quibusdam de futuris bonis. Sed præstat Paulum ipsum diuinitus hæc disserētem audire.* γέγραπται γὰρ ὅτι ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν. ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας. ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κατὰ σάρκα γεγέννηται, ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. μία μὲν ἀπὸ ὄρους σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν ἄγαρ. (τὸ γὰρ ἄγαρ, σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀραβίᾳ) συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν ἱερουσαλὴμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. ἡ δὲ ἄνω ἱερουσαλὴμ, ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. γέγραπται γὰρ, εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα. ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα. ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα. ἡμεῖς δὲ ἀδελφοὶ, κατὰ ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν. ἀλλ' ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα: οὕτω καὶ νῦν. ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς. οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσῃ ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας: ἄρα ἀδελφοί, οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας. τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε. *Quo loco D. Paulus in illa allegoria expli-*

*explicanda mirabili serie & συστοιχίᾳ vsus est: vt in hoc diagrammate vides: quod Constantinus proposuit:*

| *Seruitus.* | *Libertas.* | |
|---|---|---|
| *Agar serua.* | *Sara libera.* | *Vxores 2.* |
| *Ismaël ex carne seruus.* | *Isaac ex promissione ingenuus.* | *Filij 2.* |
| *Lex in Sina, cæremoniarum.* | *Euangelium ex Sion Fidei.* | *Testamenta 2.* |
| *Ierusalem terrestris, synagoga Iudæorum, serua.* | *Ierusalẽ cœlestis & diuina per gratiam mater omnium fidelium, libera.* | *Ciuitates 2.* |
| *Iudæi qui in cæremonijs manent.* | *Fideles qui gratiam amplectuntur.* | *Ciues dupli ces.* |

*Ex hac συστοιχίᾳ extruit quoq; has ratiocinationes D. Paulus:*

*Filij liberæ, sunt filij promissionis.*
*At qui ex fide sunt, sunt filij liberæ ut Isaac & fideles.*
*Qui igitur ex fide sunt, sunt filij promissionis ut Isaac & fideles.*
*Qui ex carne sunt, persequuntur eos qui ex spiritu sunt.*
*At qui ex lege & serui sunt, ex carne sunt.*
*Qui ergo ex lege & serui sunt, persequuntur spirituales.*
*Filij liberæ, hæredes sunt.*
*At qui ex fide sunt, liberæ filij sunt.*
*Qui ergo ex fide sunt, hæredes erunt.*

*Cæterùm Sara cẽtum viginti septem annos nata, mortua est: eamq; Abrahamus deflе-* *Mors Saræ*

*tam, in duplici ſpelunca Hebronis ſepeliuit.*

> Nemo me lacrymis decoret, neq; funera fletu
> Faxit:

*ait apud Ciceronem Ennius. At melius Abrahamus noſter, qui obitũ chariſſimæ coniugis multis profuſis lacrymis luxiſſe dicitur. Quanquam & hîc modus retineri debet: ſunt enim qui ſe gratum mortuis facere, ſi grauiter eos lugeant, arbitrantur: quos etiã grauiter rep̃hendit D. Paulus 1. Theſſ. 4.* οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανε καὶ ἀνέστη, οὕτω καὶ ὁ θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ. *Eſt autem, in hoc 23. Moſis capite diligẽter & accuratè verborum Hebræorum ſenſus obſeruandus, vbi ait Moſes: vaiakam Abrahã me al pne meſo. Hoc eſt, & ſurrexit Abrahamus à facie mortui ſui. Hîc enim audaculi quidam homines ſuperſtitionẽ Miſſæ fundamẽtis quibuſdam ſed nimium fragilibus ſtabilire conati ſunt, qui per paronomaſiã, cui veritas apertè refragatur, nomen meſo in miſſam Germanicè commutarunt. Dictio enim Germanica Meſſ paulò propior eſt Hebrææ*

*bręę voci, quàm Latina missa. Sic enim verterunt: vnd Abraham stund auff von seiner Meß. Hic igitur locus et hæc falsariorum istorum audacia, docet quanta cura fontes adeundi, quantaq́; diligentia linguæ discendæ sint, si modò veritatem tenere & mendacia refutare cupimus. Iam quòd Abrahamus de vxoris sepultura tam solicitus est, ostendit & hîc suam fidem, quam de immortalitate animorum habuit. Nam (vt Cicero ait) ceremonias sepulcrorũ, veteres nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorũ mentibus, mortem nõ interitum esse omnia tollentem atq; delentem: sed quandam quasi migrationem, cõmutationemq́; vitæ, quæ in claris viris & fœminis dux in cœlum soleret esse. Locus verò vbi Sara sepulta est, spelunca seu rupes duplex fuit, sic appellata quòd in superiore viri, in inferiore mulieres sepelirentur: fuitq́; iuxta vrbem Cananææ Hebronem, quæ & Ciriatarbe, id est ciuitas quatuor patriarcharum dicta est, quòd (vt Trecensis scribit) quatuor patriarchæ Adamus, Abràhamus, Isaacus, & Iacobus illic sepulti essent. Cæterùm hunc luctum ex cha-*

*rissimæ coniugis morte ortum, si non expulit Abrahamus, at mitigauit saltem nouis Ceturæ nuptijs, quam Hebræi eandem cum Agare Abrahami concubina faciũt, quæ mortua Sara, in vxorem & de non copulata in copulatam (id enim significat nomen Ceturæ) transit & in manum conuenit: ne senex nouis nuptijs lasciuisse arguatur. Posteri autem Ceturæ à nomine liberæ se postea Saracenos pro Agarenis nominarunt. Atque hæc de priuatis seu œconomicis Abrahami ca fidei actionibus. Ne autem à publica & politica hominum societate eundem abhorruisse aut sua cura indignam eam putasse existimemus: cùm regibus etiam fœdera init & iusiurandum præstat, vt cum Abimelecho cap. 21. Quin etiam de successore & herede solicitus est, deq; ea re cum Iehoua colloquitur cap. 15. vbi cum ait Damascenum Eliezerum, filium procurationis domus suæ seu œconomum esse, innuit eum relinqui ad suscipiendam hæreditatem. Vnde colligitur vernas habuisse apud Hebræos aliquod ius succedendi domino sine liberis defuncto. Ad hæc etiam emptionem contrahit, qua ad sepulturam campum cum duplici cauerna emit*

Secunda Abrahami nuptiæ.

Actiones Politicæ.

*mit ab Ephrone Hethæo cap.23. Et quidem precium præsens appensum, fuit quadringẽtorum ſiclorum probæ monetæ, hoc eſt ducentorum florenorum ſeu centum & ſexaginta Coronatorum. Nam ſiclus quatuor drachmas ſeu denarios continebat, quorum in coronato decem ſunt. Contrahit autem Abrahamus in publico loco, nimirũ in porta (quæ Hebræis pro curia erat) aſſiſtentibus audientibusq; plerisq; ciuibus & vtriusq; conſenſu interueniente. Quin & ſolicitè ad confirmandum, publicaq; autoritate muniẽdum contractum, exprimuntur ſitus agri è regione Hebronis, item limites & adiunctæ arbores, quarum dominium ad Abrahamum tranſire debeat. Sed præter hæc politica, etiã polemica, & durum quoq; Martis opus & bella gerit. Nam anno triceſimo Amraphelis regis Babylonici, qui Zameis Ninias fuit, cum frater Lothus per reges qui Sodomã & Gomorrham expugnarant, captiuus abductus eſſet: heros noſter Abrahamus trecentis & octodecim ſeruis ſecum raptis fratrem felici ſucceſſu ex hoſtium poteſtate liberauit, & quidẽ inſigni ac planè militari ſtratagemate. Nam diuiſo exercitu & quidem*

*nocte*

*noctu hostes inuasit, vt multò maioribus copijs se oppugnari existimarent. Magnum itaq; fidei fructum hîc quoq; Abrahamus percepit. Cuius enim fiduciæ putamus esse in gentes hostium potentißimorum copias, & quidem victoria iam elatas & alacres, tam exigua manu audere aggredi? quos illi stimulos fraterni amoris στοργὴν subiecisse credemus? Sed & victoria planè heroïcè vsus est. Nihil enim ex amplißimis spolijs in suam vtilitatem auertit: sed victoria ipsa & virtutis pulchritudine & suorũ salute contentus fuit: & Melchisedeco regi Salem decimas, ceu opima spolia, obtulit. Et hoc quidem tempore primùm decimæ oblatæ leguntur. Sed quis ille Melchisedecus fuerit, paulò preßius inuestigandum est. Melchisedecus igitur Sem filius Noachi Hieronymo videtur tomo quarto ad Euagrium, putatqúe nomen appellatiuum seu epitheton esse, quasi dicas rex iusticiæ. Sed hanc opinionem refutat D. Paulus 7. ad Hebræos vbi dicitur esse ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος. Habitauit autem in vrbe Salem, quæ postea Ierusalem dicta est, teste Iosepho lib. 1. Antiq. Iud. cap. 18. & præ-*

*ci-*

*cipuus fuit sacerdos & gubernator Ecclesiæ eius temporis: Is benedixit Abrahamo, ideoq́; fuit typus Christi sacerdotis, qui cæleste benedictionem Abrahamo promissam affert & homines à maledictione legis liberat: ut Psal.110.dicitur. Sed præstat D. Paulum audire in cap.7.ad Hebræos, qui & historiam & allegoriam præclarè explicat.*

οὗτος ὁ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ, ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ, ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων καὶ εὐλογήσας αὐτὸν. ᾧ καὶ δεκάτην ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν ἀβραάμ. πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. Θεωρεῖτε δὲ πηλίκος οὗτος, ᾧ καὶ δεκάτην ἀβραὰμ ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων ὁ πατριάρχης. καὶ οἱ μὲν ἐκ τῶν υἱῶν λευῒ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, ἐντολὴν ἔχουσιν ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν κατὰ τὸν νόμον, τουτέστι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῶν, καίπερ ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος ἀβραάμ. ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, δεδεκάτωκε τὸν ἀβραάμ, καὶ τὸν ἔχοντα τὰς ἐπαγγελίας εὐλόγηκε. χωρὶς δὲ

πάσης ἀντιλογίας, τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν: ἐκεῖ δὲ, μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. καὶ (ὡς ἔπος εἰπεῖν) διὰ ἀβραὰμ καὶ λευῒ ὁ δεκάτας λαμβάνων δεδεκάτωται. ἔτι γὰρ ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ἦν ὅτε συνήντησεν αὐτῷ ὁ Μελχισεδὲκ. *His verbis D. Paulus & historiam & allegoriam Melchisedeci luculenter explicat. Et in allegoria quidem considerat primò* ἑρμηνείαν *seu nomē: deinde originem eius,(dicitur enim* ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος*) tertiò* ὁμοίωμα *seu similitudinem cum filio Dei: quia sit sacerdos in æternum: vltimò comparationem cum Abrahamo, quo longè maiorem & præstantiorem facit Melchisedecum, tribus argumentis ex decimis, benedictione & perennitate: Nam primò,*

Qui decimas accipit, maior est eo qui dat.
At Melchisedecus ab Abrahamo decimas accipit.
Melchisedecus igitur maior est Abrahamo.

*Secundò:*

Qui benedicit, maior est eo qui benedicitur.
At Melchisedecus Abrahamo benè dixit.
Melchisedecus igitur Abrahamo maior est.

*Deniq;*

Immortalis maior est mortali.

At Mel-

*At Melchisedecus immortalis est: quatenus uidelicet typus est Christi, cum nusquam commemoretur mors ipsius & Dauid cum proponat ut sacerdotem æternum.*

*Melchisedecus igitur maior est Abrahamo, qui mortuus est.*

*Hæc omnia tandem ad Christum (cuius typū Melchisedecus refert) transferuntur per multas similitudines, Melchisedecus fuit rex & sacerdos: talis Christus reuera est. Ille fuit rex pacis & iustitiæ: talis & hic est. Ille fuit* ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine principio, & fine: talis & hic est:* ἀπάτωρ *quatenus est homo,* ἀμήτωρ *quatenus est Deus. Ille sacerdos in æternum fuit: talis & hic est. Ille decimauit Abrahamum & ei benedixit: talis est Christus à quo pendet Abrahami sanctificatio & benedictio. Vnde tandem sequitur Christi sacerdotium Leuitico præstantius fuisse: per Soritem:*


*Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci.*
*Melchisedecus est maior Abrahamo.*
*Abrahamus est maior quàm Leui.*
*Christus igitur habet sacerdotium maius & efficacius Leuitico.*

*Qui Sorites in hunc syllogismum redigi potest.*

*Abraha-*

*Abrahamus est maior quam Leui.*
*At Christus est maior Abrahamo. Est enim sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, qui Abrahamo maior fuit.*
*Christus igitur est maior Leui.*

*Atq; hæc de Abrahamicæ fidei actionibus. Cæterùm Abrahamus iam morti vicinus hæreditatem suam inter liberos ita diuisit, vt Isaacum ex asse hæredem & omnium bonorum successorem fecerit: filijs autem concubinæ legata dederit, eosq; ab Isaaco separauerit. Tandem verò ætate fractus, anno ætatis 175. mortuus & in duplici cauerna iuxta Hebronem vnà cum vxore Sara sepultus est: cuius hæc familia est:*




*Verùm vt tandem Abrahami nostri histo-*

*riam*


*viam concludamus, & fidem eius fideiq́ actiones imitari discamus: ita statuamus. Abrahamus pater omnium fidelium dicitur: demus igitur operam vt non filij carnis, sed spiritus & promißionis simus. Ille principiò Deos externos adorauit, sed postea ex Vr Chaldæorum eductus summam veræ religionis laudem est adeptus. Nos quoq́ sicubi à recto tramite aberrauimus, posteriore sanctitate labem priorem eluamus. Ille credidit Deo & reputatus est iustus: hanc πληροφορίαν nobis palmariam putemus. Ille sine operibus legis per Dei gratiam iustificatus est: eandem viam ad salutem nobis patere credamus. Ille ex præclara fidei arbore præclaros fructus extulit: nos etiam operam demus ne simus ὠλεσίκαρποι. Ille filium suum vnicum Deo iubente immolare non recusauit: nos affectus nostros illi mactemus, resq́ charißimas expetente Deo abijcere ne grauemur. Ille in hoc mundo peregrinus, nullam certam fixamúe sedem habuit: nos itidem in hac terra hospites & exules, cælestem patriam inquiramus. Ille cum fratre Lotho fraternam amicitiam coluit: nos si qua nubecula amicitiæ suboritura videtur, lenitate & placabilitate*

litate

*litate tempestatem præueniamus. Ille hospitalitatem exercuit, ideoq; angelos hospitio excipere meruit: nos eiusdem memores simus. Ille fœdera coluit, bella gessit, decimas Deo obtulit, liberis suis viuus de successione prospexit: nos si in politica talia inciderimus, Deo in his ipsis quoq; rebus veræ fidei actiones non displicere, persuasissimum habeamus. Deniq; qualis & in vita & in morte Abrahamus fuit, tales nos ipsius exemplo præstemus: ostendamusq; nos veros Abrahami filios esse, qui non modò viua veraq; fide, sed & viuæ veræq; fidei actionibus totum nostrum cursum & certamen approbemus.*

## LIBER IIII.

## *DE ISAACO.*



*Istoria Isaaci in Mose breuis est: præcipuus autem locus præter repetitam ad illum promissionem de semine benedicto, est de coniugio autoritate parentis Abrahami cum Rebecca contracto, in cuius*

*cuius narratione præcipuè nuptiarum ritus Hebræis vsitatus considerari debet. Romani in copulandis coniugibus suos quoq; ritus, eosq; varios habuerunt. Nam primò in nuptijs contrahendis auspices adhibebantur. Deinde sponsa aqua & igne accepta, dicis causa rapiebatur: flãmeo caput obnubebatur, & à pueris prætextatis tribus deducebatur, quorũ vnus præferebat facẽ, duo nuptæ brachia sustinebant. Ipsa nupta limẽ mariti oleo vngebat (vnde vxor dicta) eaq; ingrediente Thalaßius canebatur, pòst in cubiculum deducta, fax rapiebatur: moxq; pactum cõmunionis inibant, vbi tu Caius, ego Caia. Pronubæ interea nuptam in lectum collocabant, qui genialis dicebatur: maritusq; nuces pueris spargebat: tãdemq; cingulum virgineum sponsæ soluebat. Hæc & similia in Rom. nuptijs solennia adhibebantur. at hîc in Isaaci nuptijs omnia sanctiora & augustiora. Nam in his auspicium à Iehoua vero pronubo seu paranympho petitur. In primis verò considerandum est, quæ nam personæ fuerint quæ matrimonium cõtraxerunt, nimirum Isaacus Abrahami filius & Rebecba Bathuelis filia, quæ Isaaco sobrina erat:*

*Tertia pars matri data, pars data tertia patri,*
*Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,*
*Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.*

*Atq; hæc de consensu. Finis autem coniugij est solatium: itaq; à Mose dicitur, quòd Isaacus per coniugium Rebeccæ in morte matris Saræ se consolatus sit. Sed præter hæc, accedunt solennia munera nuptialia & coniugij arrhæ. Seruus enim Abrahami, qui Isaaci pronubus est, puellæ iam desponsæ vasa aurea & argentea ac vestes donat: munera quoq; fratri ac matri puellæ offert. Accedit & solenne lætumq; conuiuium: ac per amicos benedictio expromitur, multitudine posterorum, eorundemq; contra hostes suos potentia constans. Hæc igitur solennis Isaaci nuptiarum festiuitas: hæc ipsius oblectatio fuit. Sed ne delicatum otium eum egisse existimemus: eadem fames, quæ patrem, filium quoq; exercuit: & de migratione in Aegyptum cogitare coëgit: sed à Iehoua admonitus ad Abimelechum Geraram se contulit. Ita Ecclesiæ nulla certa sedes, sed perpetua exilia proponuntur. Interim tamen opibus & diuitijs augetur, vnde illum comes prosperitatis inuidia excipit. Hac enim ipsius felici-*

*citate offensus Abimelechus, terra illum sua excedere iußit: quin & pastores cũ eo de puteis contendunt. Sed memorabile omnium maximè est quod Moses de geminis, in vtero Rebeccæ contendentibus refert: additq; Isaaco, siue substratis capiti pellibus in monte Moria (vbi Abrahamus aram struxerat, hostiasq; immolauerat) oraculum per somnium petenti, siue viuum adhuc Melchisedecum consulenti, (vtrumq; enim annotatum est) responsum esse, duas gentes in ventre vxoris eße: sed fore vt maior seruiat minori. Quem locum D. Paulus Rom. 9. ad Ecclesiam transferens, docet quomodo ea constituatur ac propagetur: ostẽditq; causam electionis esse non merita, non primogenituram, non vllas carnales prærogatiuas: sed solam Dei misericordiam. Sic enim ait:* ῥεβέκκα δὲ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. μήπω γὰρ γεννηθέντων, μήδε πραξάντων τὶ ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος ἐῤῥέθη αὐτῇ, ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. καθὼς γέγραπται, τὸν ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ ἠσαῦ ἐμίσησα. *Cæterùm quasi inter pueros ex vtero matris egredientes de præroga-*

*rogatiua primogenituræ contentio esset, ita alter alterum in nascendo retardare conatus est. Hinc enim Iacob supplantator dictus est, quòd fratris nascentis plantã manu comprehensam tenuisset. Magnum verò in patrum ecclesia primogenituræ priuilegiũ fuit. Primogeniti enim non tantum ius sacerdotij & regni seu gubernationis in familia paterna habuerunt: vt de Ruben Genes. 49. dicitur: sed etiam in herciscunda familia & diuidenda paterna hæreditate duas partes præcipiebant. Hanc prærogatiuam Esaus postea lente vendidit: & sic multo maxima pars hominum patrimonium ac hæreditatẽ æternæ vitæ cum breuibus ac tẽporarijs huius caducæ vitæ bonis, vt diuitijs, honoribus, voluptatibus commutat, & vt Homericus Glaucus Iliad. Ζ. permutat,*


χάλκεα χρυσείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

*Esaus igitur primogenitura per Iacobum fratrem exutus, consimili ratione benedictionem etiam amisit, dum patrem senecta cæcutientem & simulato ferculo delinitũ pellibus tectus materno astu decepit & ad benédicendum sibi induxit. Et Hinc D. Paulus aliud exemplum fidei ad Hebr. cap. 11. annotauit*

*tauit. Cæterùm inter fratres æmulatione ex illa benedictione orta, Iacobus vt fratris irã fugeret, in Mesopotamiam ex terra Canaan matris suasu peregrinationem suscepit.*

## LIBER V.

### DE IACOBO.



*N Iacobi historia plures actus occurrunt. Nam præter superiora, Moses describit eius somnium, coniugium, liberos, soceri ingratitudinem, furtum Rachelis, luctam cum filio Dei, reconciliationem cum fratre Esao, raptum filiæ Dinæ, mortem Rachelis, incestum Rubenis, dolorem ob Iosephum filium, deniq; descensum in Aegyptũ & mortem ac testamẽtum eius. Iacobus itaque, vt diximus, fratris metu perculsus, de consilio matris in Mesopotamiam concedit.* Somnium de scala. *Inter proficiscendum, ostentum illud scalæ celebratũ in somnis videt, cuius vna pars terræ, altera cœlo inniteretur, in qua angeli ascenderent & descenderent. Locum oblatæ visionis Bethel vocat, quod diuinum domicilium*

*cilium Hebræis ſonat: antea enim Luza dicebatur. Fuit autem in finibus tribuū Beniamin et Ephraim, tribus milliaribus ab Hieroſolymis diſtans. Scribitq́; Trecenſis in hiſtoria eccleſiaſtica cum fundamenta vrbis Luzæ iacerentur, radicem amygdalinam ibi inuentam fuiſſe, vnde nomen quoq; ſortita ſit. Cæterùm in hoc ſomnio ampliſsima doctrina de Chriſto, de Eccleſia, de miniſtris occurrit. Nam petra, quam Iacobus dormiturus capiti ſupponit, Chriſtus eſt. Sic enim 1. Petr. 2.* λίθος ζῶν, ὑπὸ ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένος, παρὰ δὲ θεῷ ἐκλεκτὸς, ἔντιμος, ἀκρογωνιαῖος, λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου: *& Pſalmo 117. Lapis quem reprobauerūt ædificantes, qui factus eſt in caput anguli. Iam ſcala ipſa, quæ cacumine cœlum contingit, & tamen in terra conſiſtit: duas in Chriſto naturas cœleſtem & terrenā* ὑποστατικῶς *vnitas depingit. Quin & beneficia eiuſdem nobis proponit. Vt enim ſcala cœlū & terram coniungit: ita filius Dei nos à Deo auulſos, iterum eidem agglutinat & cum eo coniungit. Et ſic ipſe filius Dei hanc viſionē Ioan. primo nominatim de ſe interpretatur:* ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐ-

*ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Deniq; totam ecclesiam hæc imago repræsentat: Vt enim angeli in scala ascendunt & descendunt: ita cœtus ille sanctus in Christi corpore ad cœlum penetrat: ac præcipuè hic ministri ecclesiæ sui muneris admonentur. Illi enim duce & auspice Christo primum ascendere ad Deum debent & ab illo Sp.S. Euangelij lucem, ac alia bona expetere: deinde verò descendere & animi bona Ecclesiæ communicare debent. Et vt summatim cõplectar, locus hic impijs terribilis, pijs verò optabilis, consolationem amplissimam præbet, dum affirmat cœlum esse apertum et per Christum nobis eò aditum esse patefactum, ac iræ diuinæ ericium esse remotum.*

2. Cõiugium & bigamia Iacobi.

*Cæterùm Iacobus profectus Carras Mesopotamiæ vrbem, apud Labanem Rebeccæ matris fratrem diuertit: à quo hospitaliter exceptus, curæ gregum præficitur. Porrò Labani duæ erant filiæ, natu maiori Liæ, minori Rachelis nomen erat. Iacobus amore iunioris corripitur, quæ sororẽ formæ fœlicitate vincebat, & Labanem de ea alloquitur. Is desponsurum se illam ei pollicetur, si septem sibi an-*

*bi annos inseruiat. Annuit amator, tempus elabitur, nuptias apparat socer: sed noctu filiam natu maiorem Iacobo in thalamũ adducit. Qui manè impostera cognita, cum socero de iniuria expostulat. Ille autem ritu seu consuetudine suæ nationis, quæ filias natu maiores primò elocare solita esset, se excusans, Rachelem etiam ei post alterius septennij seruitutem pollicetur. Eam conditionem Iacobus amore coactus denuò accipit: & alteris septem annis elapsis, Rachelis etiam matrimonio potitur. Lia iam è Iacobo liberos habebat, Rubenem primogenitum, Simeonem,* 3. Liberi Ia-
*Leuum, Iudam. Rachel, quia liberos non ha-* cobi.
*bebat, verita, ne minus gratiosa esset, Iacobo ancillam Billam concessit, ex qua ille Danem & Nephthalim sustulit. Lia æmulatione incitata, Zelpham ancillam suam & ipsa Iacobo despondet, quæ illi Gadum & Aserem peperit. Cùm autem Ruben Liæ filius Dudaim seu mandragoræ mala* (ἡ δὲ τοῦ μανδραγόρου ῥίζα φίλτρων εἶναι ποιητικὴ δοκεῖ, *ut scribit Dioscorides: Pythagoras eam* ἀνθρωπόμορφον *vocauit, quòd humanam formam imitaretur, & Hebræis nomen à mamillis accepit. Vide prouerbium, Mandragoram bi-*

*be) attulisset, Rachel partem sibi dari petit, concessa Liæ per noctem illam mariti consuetudine: ex quo illa Isascharē & Zabulonem filios ac Dinam filiam (quam postea Iobo nuptam fuisse Philo tradit) concepit. Natus autem est & Racheli filius Iosephus. Sic annis multis Iacōbus soceri opilio fuit: & cum discedere cuperet, à socero inuitus est retentus, pacto de mercede seu laborum compensatione cum eodem inito. Separat itaq; Iacobus pecora varij & nigri coloris ab albis: & socero maculosa & nigra separatim interuallo tridui remota dat custodienda: ipse verò alba retinet hac conditione, vt pecora varij coloris, ex albis nascentia retineret. Hanc conditionem libenter accipit socer auarus, qui natura ordine ex vnicoloribus existimat non multa maculosa nasci posse. Sed Iacobus naturam arte adiuuat & maculosas virgas ex populo, platano & amygdalo decerptas & detorticatas in conspectu pecorum concipiētium proponit. Nam in omnibus animantibus certæ formæ aut maculæ imprimuntur fœtibus tum ex imaginatione, tum ex varijs obiectis animo aut oculis obuersantibus, nō tantum in ipso ardore conceptus, sed etiam*

4. Labanis ingratitudo.

*post*

*post imprægnationem. Et Aristoteles lib. 3. hist. anim. cap. 15. ait aquis tempore cõceptus potis, mutari colorem vellerum: μεταβάλλου-σι ἔνια τῶν ζώων τὰς χροίας τῶν τριχῶν διὰ τὰς τῶν ὑδάτων μεταβολάς. ἔνθα μὲν γὰρ λευκὰ γίνεται, ἔνθα δὲ μέλανα. Nec verò hoc tantum, sed & in temporis qualitate naturam Iacobus adiuuat. Nam id in primi temporis pecoribus duntaxat obseruauit. Verni enim fœtus meliores sunt, vt è contra serotina admissura, quæ in extremo vere, vel (vt alij intelligunt qui oues in Mesopotamia bis in anno parere volunt) in autumno fit, plerunq; deterior est. Ita vernum pecus vt melius ad Iacobum: serotinum vt deterius, ad socerum redibat: tum enim virgas maculosas aquali non imponebat, ne colorem mutarent, sed ex pacto candoris socerum sequerentur. Sed tãdem anno vicesimo diuino mandato Iacobus relicto auaro & ingrato socero, in patriam reuerti iussus, clam cum vxoribus, ancillis, & liberis fugam capit, abductis vnà bonis suis & pecudibus quas pastionis mercede nactus fuerat. Rachel etiam simulacra patris abstulit, non vt illa coleret, sed vt ad ea confugerat, si à patre persequente deprehensa esset,*

5. Furtum Rachelis.

*sa esset, vt Zonaras vult: vel vt aurum in viaticum conferret, quod iure naturali & ciuili à patre sordido ipsi debebatur. Cũ autem Laban eos die septimo consecutus esset, somnio diuinitus monetur, vt Iacobo reconcilietur. Postridie verbis vtrinq; commutatis, etsi Iacobus demonstrarat, nullam à se ortam fuisse iniuriam, Laban tamẽ de patrijs Dijs eum accusabat. Qui eius rei nescius, inquisitionem illi permittit. Inquirit ille: sed Rachel simulacris sellæ cameli, qua vehebatur, subiectis insidens: menstruorum fluxu se laborare ait. Laban, qui filiam ad Deos suos eo malo conflictantem nunquã accessuram persuasum haberet: ea præterita, domũ reuertitur. Iacobus verò fratrem metuens, suum reditum illi, muneribus præmissis, denunciat. Nocte superueniente, cum spectro sibi decertare, victoriaq; potiri visus, cùm angelum esse Dei animaduertisset, orat vt sibi diceret, quo fato vsurus esset. Ille victoriã diuini angeli, magnorum bonorum signum haberi asserit & Israëlem vocari iubet. Quã vocem alij victorem seu principem Dei interpretantur: Iosephus eum qui diuino angelo restiterit, significari tradit. Iacobus locũ illum*

[illegible] cũ angelo.

*illum Phanuel, hoc est, Dei faciem vocat. Et quia in lucta cum angelo, poplitis dolore affectus fuerat, cùm ipse illius esu abstinuit, tū omnis eius posteritas ab eo vt illicito abhorret. Atq; in hac historia quatuor præcipuè animaduertenda sunt: primò custodia angelorum, quàm cum circa se conspiceret Iacobus locum eius visionis appelláuit Mahanaim, id est, castra. Qui locus ad cōfluentem Iabec & Iordanis est, paulò infra mare Galilææ. Et ad hunc locum rex Dauid haud dubiè respexit, cum Ps. 33. caneret: Castrametabitur angelus domini in circuitu timentium eum & eripiet eos. Secundò humilitas Iacobi, qui se fratri Esau subijcit, munera ei mittit, nuncios præmittit, eiq; supplex fit. Tertiò oratio Iacobi, qui quanquam se indignum gratia diuina fatetur, nihilominus tamen firma fide à Deo auxilium petit. Deniq; fides Iacobi quæ in ærumnis & lucta cum filio Dei maximè apparet, nosq; monet vt cū in pericula & tentationes inciderimus, fortiter & athleticè cum Deo nos tentante luctemur. Sic enim fore vt etsi faciem suam à nobis subtrahere Deus videatur, lætissimus tamen exitus nos ex filij eius humeris pendere com-*

re comprobet. Interea fratri Esao obuiam factus, summum artificium placandi offensos & reconciliandi dissidentes, suo exemplo demonstrauit. Nam coram fratre se septies humilians, in amplexum eius ruit, osculis lacrimas miscet: fratrem dominum appellat, eiq; munera offert. Iamq; Iacobus Sicimam peruenerat: Sicimitis autē festum celebrantibus, filia eius Dina, spectandæ festiuitatis gratia, vrbem ingreditur. Quam cōspectam Sichemus regius adolescens rapit, raptæque vim infert. Rex adolescentis pater Iacobum orat, vt Dinam Sichemo despondeat. Re non impetrata, Simeon & Leuus vterini puellæ fratres, ciuibus ob festiuitatem conuiuantibus atq; inebriatis, vrbem noctu ingressi, mares prorsus omnes, ipsumq; regem cum filio trucidant. Hæc Iosephus. At Moses probabilius: Cùm, inquit, Emmor Sichemi pater Dinam filio vxorem peteret, Simeonem & Leuum dixisse, si mares vrbis omnes circumciderentur, se filio eius sororem suam desponsuros. Qua conditione accepta, circumcisos esse omnes. Ac die inde tertio cū ex cruciatu ardoris malè haberēt, ab illis trucidatos, Iacobo ignorante. Quem facinus illud grauiter

7. Reconciliatio cum fratre.

8. Raptus Dinæ.

*ter ferẽtem, bono animo Deus esse iubet. Philo Dinam hanc à Iobo in matrimonium postea ductam scribit, ex qua quatuordecim filios & sex filias sustulerit. Magnum verò exemplum est custodiendarum diligenter virginum, & à spectaculis arcendarum, in quibus etiam seruos nocet esse nimios secundum Iureconsultum Vlpianum in l.1. De seruo corrupto: & Impp. Theodosius & Valentinianus repudium mitti voluerunt vxori quæ vel circẽsibus vel theatralibus ludis vel arenarũ spectaculis prohibente marito gauderet. Iacobus verò inde Bethel, vbi somniũ scalæ viderat, reuersus, rem diuinam facit: ac progressus, Rachelem (quæ iã Iosepho Iacobum auxerat) ex partu mortuã in Ephrata sepelit; puero ob matris ex eo dolorem Benoni per matrem, sed Beniamin per patrem appellato. Ephrata autem eadem est cum Bethlehem, iuxta quam cum fuerit Rachel sepulta, apud Matth. cap. 2. cum ab Herode infantes trucidarentur, Rachel scribitur plorasse liberos suos, & doluisse posteritatem suam adeò immaniter interfici. Cæterùm accidit aliquanto post vt Ruben primogenitus Iacobi cum nouerca Billa incesto concubitu*

9. Mors Rachelis.

10. Incestus Rubenis.

se

*se pollueret: quæ res quantum dolorem in pij patris animo excitarit, ostendit maledictio quàm is iamiã moriturus filio exprompsit. Magnum itaq; luctum Iacobus cum ex raptu Dinæ, tum ex morte Rachelis ac Deboræ nutricis accepit: sed maiorem ex Rubenis primogeniti incestu sensit. Omnium autem maximum dolorem ex falsò nunciata Iosephi filij morte percepit: de qua in Iosephi historia plura dicemus, ad quam etiam patris Iacobi migrationem in Aegyptum, eiusq́; mortem & testamentum referemus.*

## LIBER VI.

### *DE IOSEPHO.*



*Osephi historia nihil aliud quã virtutum ethicarum & politicarum speculũ est: adeò vt Moses Iosephum pro exemplo viri Ethici & Politici proposuisse videatur. Quod igitur ad virtutes ethicas attinet, considerabimus ipsius prudentiam, continentiam, pietatem erga fratres & parentem Iacobũ, modestiã in suo munere. Per*

*totam*

*totam autem propemodum historiam tolerantiam ipsius in calamitatibus, vt exilio, seruitute, calumnijs, carcere, summa apparet. Ac quod ad prudentiam attinet, ad eã refertur diuinatio & interpretatio somniorum, quæ in Iosepho summa fuit, de qua plura inferius in pistoris & pocillatoris somnijs dicemus. Ipse sanè Iacobus Iosephum nõ tam ob vultus elegantiã, quàm ingenij dexteritatẽ præ cæteris diligebat. Itaq; et patria charitas & somnia quæ viderat, fratrum inuidiam illi conciliarunt. Somnia huiusmodi fuerunt: Vnum, Tempore meßis cum fratribus metens, manipulos sibi ligare & componere, ac suos immotos stare, quos fraterni accurrentes adorarent. Alterum: à sole & luna ac vndecim stellis adorari sibi videbatur. Has visiones, fratribus etiam præsentibus, patri referens, quid sibi vellent, scire cupiebat. At ille fœlicitatem nato denunciabat, ac fore tẽpus, quo & à parentib. & à fratribus coleretur & adoraretur. Hæc fratres ægrè ferre & toruè adolescentulum intueri. Post hæc, pater Iosephum ad filios greges Sicimis pascentes, visum mittit. Quo conspecto, ad eũ perimendũ sunt concitati. Sed Ru-*

1. Prudẽtiã.

Somnia Iosephi.

M ben

*ben monebat, ne fraterno sanguine manus pollucrent, sed in proximum puteum coniectum emori sinerent: sic leuius fore facinus. Quo consilio probato, Ruben puerum sensim in puteum demisit. Iudas verò Arabicis mercatoribus visis, autor sit fratribus vendendi illis Iosephi. Assentiuntur, eumq́; viginti argenteis vendunt, annos natum septendecim. Iosephus itaq́; imago Christi est, qui ab Apostolo & fratre suo Iuda XXX argenteis venditus est. Sed Ruben noctu ad puteum accedit, vt Iosephum inde ereptũ clam fratribus conseruaret. Quo non inuento, lugens fratres criminatur: sed re ex illis cognita lugere desinit. Illi tunica adolescentis polymita seu versicolore, hirci sanguine tincta, ad patrem veniunt, dicẽtes se Iosephum nec vidisse nec quomodo interijsset scire: sed tunicam illam reperisse cruentatam & laceratam. Iacobus sacco indutus, adolescentulum luget. At Iosephum à mercatoribus emit Potophres homo Aegyptius, Pharaonis Eunuchus & lanionum seu militum præfectus, eumq́; honorificè tractat: & rei suæ familiari domesticæq́; curæ præficit. Iosephus verò in omnibus officijs sedulus, sobrius, ac fidelis, diuina*

Venditio Iosephi.

*uina gratia aspirante, domini domum multis modis auget & in melius prouehit: ac Oeconomicarum virtutum exempla insignia edit. Sed inter cæteras eius virtutes, vt insignis gemma, elucet Continentia, quā secundo loco nobis propofuimus. Nā herilis vxor, & forma & dexteritate eius in amorem illecta, verbis ad eum de congressu factis, repulsam fert: ac nihilo tamen secius cupiditatis ardore subacta, speq́ persuadendi deiecta, vim parat. Vt autem adolescens vêste relicta exilit, illa tristis & perturbata sedet: maritoq́ reuerso, Iosephū accusat, demonstrans vestem, quam ille violaturus dominam reliquisset. Potiphar Iosephum in carcerem maleficorum conijci iubet, quò & pincerna Pharaonis per iracundiam coniectus fuerat, & magister pistorum: qui inita cum eo familiaritate, petebant somnia sibi ab eo sua declarari. Pincerna vitem sibi videre visus fuerat, vndè tres palmites enascerentur, de quibus magnæ & maturæ vuæ dependerent, quas in phialam exprimeret, eamq́ Pharaoni afferret, qui benignè acceptaret. Iosephus bonam somnij esse significationem asserebat: Nam intra triduum pristinam ei functionem*

2. Continentia.

Ioseph in carcere.

*nem restitutum iri: petebatq́; vt is rebus suis secundis sui recordaretur. Pistorum autem magister visus sibi fuerat tria canistra in capite ferre, duo plena panibus, tertium obsonio & varijs cibis refertum, quæ à deuolantibus alitibus diriperentur. Dixit autem huic etiam Iosephus, tria canistra significare triduum, ac die tertio suspensum eum carniuoris alitibus cibum fore. Vtriq; accidere quæ Iosephus prædixerat: sed pincerna liberatus, obliuiscitur Iosephi. Rectè enim Pindarus, παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δ' ἔ βροτοί: & Seneca, Nemo beneficia in Calendarium scribit. Duo autem præcipuè in hac historia animaduertenda sunt, nimirum causæ continentiæ Iosephi & ratio somniorum: de quibus tamen alibi commodius dicitur.*

*Pharaonis visa.*

*Post hæc verò Deus Pharaoni bina visa in somnis offert, eorumq́; enarrationes. At ille visa quidem meminerat, enarrationum autem oblitus fuerat. Itaq́; sapientes Aegyptiorum conuocat, somnia enarrat, interpretationem expetit: quibus hæsitantibus irascitur. At pincerna etsi pridem oblitus, tandem in memoriam Iosephi redit: deq́; eo Pharaonem edocet. Adducitur ille statim: cui*

Rex

*Rex, adolescens (inquit) somniorum quæ vidi iudicium mihi declara. Vidi boues septem pingues è flumine ascendẽtes, se conferre ad paludem, quibus alij septem occurrerent tenues & fame confecti: atq; pinguibus illis deuoratis, æquè tenues manerent. Rursus vidi spicas septem ex vno vegeto calamo enatas, pondere granorum inclinatas: ac prope illas totidem videbar videre spicas tenues & ob squalorem aspectu fœdas, quæ & ipsæ fœcundas & pulchras consumerent. Ad hæc Iosephus: Etsi ô Rex (inquit) somnia bina sunt, eadem tamen est vtriusq; in futurum significatio. Nam & boues, animal arando exerceri solitum, à deterioribus deuorati & spicæ florentes à tenuibus absumptæ, tot annorum famem tuæ regioni portendunt, cũ quidem totidem annis prouentus annonæ vberrimus à posterioribus sit absumendus. Tu verò, si priorem copiam in sterilitatis annos seposueris, sensum istius calamitatis Aegyptijs adimes. Pharao Iosephi sapientia obstupefactus, tum ob somniorum cõiecturam, tũ propter consilium: Tu (inquit) ipse rerum istarũ coniector & suasor, idem etiam consiliorum administrator eris. Itaq; potestatem suam in*

Iosephus fit princeps Aegypti: & πε-ριπέτεια.

*cum confert, vt & sigillo Pharaonis vteretur, & purpuram gestaret, & curru veheretur. Accidit hoc Iosepho XXX annos nato, quem vulgus Abrech, id est, patrē clementem seu mitem, Pharao verò Zophnas Paaneach, id est, absc͠oditorum expositorem seu consiliarium intimum (vt Lutherus vertit) appellabat. Quæ omnia in Christum egregiè traduci possunt. Vt enim Iosephus à fratribus primò in cisternam demissus, deinde in carcerē cõiectus, indeq; liberatus & ad Pharaonis dextram collocatus est: ita Christus crucifixus, sepultusq; primò: deinde resuscitatus iterum & ad dextram æterni patris collocatus, verè nobis Abrech, id est, pater clemens & Zophnas paaneach seu absconditorum enarrator & intimus consiliarius Dei euasit.*

Vxor & liberi Iosephi.

*Cæterùm Pharao Iosepho vxorē quoque Asenetham nomine, Heliopolitani pontificis filiam, despondet: è qua ante famem liberos suscipit, quorum natu maiorem Manassem ab obliuione vocat, quòd calamitatum oblitus esset: minorē Ephraimum à fructu quo Deus illum auxisset. Aduentat interea penuriæ tempus: neq; Aegyptum duntaxat inuadit fames, sed eam quoq; regionē,*

*inqui-*

*in qua Iacobus inquilinum agebat. Mittit igitur filios in Aegyptum, ad emẽdum frumentum, solo Beniamine apud se retento, vt natu minimo. Accedunt illi Iosephum: qui non agnitus, agnoscit fratres, & explora tum illos venisse ait. Illi & vnde venerint, & se vno patre natos esse, adhuc superstite, ac alium fratrem natu minimum esse apud patrem, dicunt. Iosephus tum demum se fidẽ illis habiturum dicit, si fratrem minimum ad se adduxissent. Dat eis frumentum: argẽtoq; in saccum cuiusq; clam imposito. Simeonem reditus illorum vadem retinet. Redeũt ad Iacobum filij, frumentum afferentes & quid sibi accidisset nunciantes. Ille retentũ esse Simeonem ægrè fert, Beniaminem in Aegyptum perduci se passurum negat. Frumento autem iam consumpto, cum eis alia conditione reuerti in Aegyptum non liceret, nisi Beniamine etiam adducto, victus necessitate pater concedit: & duplex frumenti precium, ac Iosepho munera addit. Vt in Aegyptum venêre, Iosepho munera offerunt: qui Beniamine viso, miseratione commotus, ad lacrymas dißimulandas secedit. Deinde fratribus ad cœnam adhibitis, duplis portioni-*

3. Pietas in fratres & patrem.

*bus appositis Beniaminem honorat: & quæstorem frumentum illis admetiri & preciũ in saccos imponere ac in Beniaminis sarcinam scyphum argenteum coniȳcere iubet. His factis discedunt fratres, recepto Simeone. Eos abeuntes circumdant equites, obȳcientes furtum scyphi: quem inquisitione facta, in Beniaminis sarcina reperiunt. Beniaminem equites ad Iosephum adducunt, quẽ fratres scissis vestibus plorantesq́; sequebantur. Iosephus insectatus eos, vt ingratos, missos facit, solius Beniaminis retentione contentus: cæteri attoniti astant. Iudas verò causam agere exorsus, cum multa ad com-*

Ἀναγνώρισις fratrum & πενταετία.

*miserationem apta dixisset, Iosephum ita commouit vt diutius dissimulare non posset & se fratribus agnoscendum præberet, gratiamq́; eis haberet, vt qui Dei de se consiliorum adiutores ex parte fuissent. Abite ergo, inquit, & hæc significate patri: ipsoq́; & omni eius cognatione assumpta, huc commigrate. Nam fames adhuc quinquennium duratura est. Hæc locutus, fratres amplexus, muneribus prosequitur. Itaq́; illi abeunt. Iacobus Iosephi rebus cognitis, statim ad eum properat cum omni sua cognatione, qui o-*

mnes

*mnes LXX erant. Cum verò iam prope Aegyptum veniſſet, obuiam ei Ioſephus progreditur. At ille præ gaudio penè animo linquitur. Pharao audito Iacobi cum ſuis aduentu, gaudet, eumq́ſecum congreſſum ſalutat & quot annos natus ſit interrogat. At ille, dies peregrinationis vitæ meæ (ait) 130. annorum ſunt: pauci & mali: & non peruenerunt vſq; ad dies patrum meorum: Paucis verbis miſerrimam vitæ humanæ conditionẽ depingens. Vita enim noſtra nihil aliud quàm peregrinatio & exilium eſt: ſicut & Plato grauiſſimè ait, hanc vitam eſſe ἀποδημίαν ad veram patriam, cuius profectionis extremus actus ſit mors, quæ eſt μεταβολὴ καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς τοῦ ἐνθένδε τόπου εἰς ἄλλον τόπον. Cùm autem ait dies paucos & malos eſſe, non tantùm breuitatem & fugacitatem vitæ celerrimè auolantis, ſed etiam ingentem molem calamitatum, quibus illa obnoxia eſt, deſcribit. Quia verò Pharao Iacobi domeſticos, opiliones eſſe cognorat, ſedes eis in terra Goſen aſſignat. In tota autẽ hac hiſtoria, Ioſephi erga regem reuerentia & obedientia mira, ac ſingularis modeſtia intra metas ſui muneris cernitur. Regi enim* 4. Modeſtia in ſuo munere.

*modestè se subijcit, nec sine eius autoritate & consensu, in regno quicquam agit aut cõstituit. Fame porrò (cuius etiam Iustinus lib. 36. meminit) crescente, Iosephus pecunia frumentum vendit Aegyptijs: ea exhausta, pecoribus id emunt. Deniq; agris etiam cedũt, vt haberent vnde viuerent. Sic Pharaone omnibus Aegyptiorum bonis potito (agris sacerdotum exceptis, qui suis possessoribus manebant) vt iam fames remiserat, Iosephus Aegyptios in vrbes quosq; suas conuocat, terram eis donat & operi intentos esse iubet, vt quintas frugum Pharaoni penderent. Iacobus annis XVII in Aegypto transactis, iamq; morti proximus, anno ætatis 147. Iosephum ad se vocat, & filios ipsius Ephraimum & Manassem adoptat, & vt Zonaras scribit, in filiorum numerum refert & in Cananeæ terræ portionẽ admittit. Nam quod quidam ista verba Iacobi (Inuocetur nomen meum super pueris istis, nomina quoque patrum meorum Abrahami & Isaaci) ad inuocationem mortuorũ detorserunt: id nugatorium esse, vel vnicus hic Zonaræ locus ostendere potest, qui horum verborũ genuinam sẽtẽtiam hanc esse demonstrat:*

Adoptio filiorum Iosephi.

Vtilitas historiæ.

*Isti*

*Isti pueri, Manasses & Ephraim à me adoptati, deinceps non vocabuntur filij Iosephi, sed Iacobi & hæredes erunt & in diuisione hæreditatis Canaan, patribus Iacobi promissæ, vnà cum eius filijs portionem ex æquo accipient. Nam ex veteri ritu adoptionis, non solum nomen patris adoptiui, sed & hæreditatem cernebant filij adoptati. Cæterùm cum Iosephus Manassem & Ephraimum benedicendos patri, illum vt primogenitum ad dexteram, hunc vt natu minorẽ ad sinistram collocasset, paterq́; transuersis & decussatis brachijs dextra benediceret Ephraimo, sinistra Manassi: Iosephus commotus conatur dextram patris in Manassem trãsferre: nõ sic, ait, pater mi, nã iste est primogenitus, pone dextram tuam super caput eius. Noui fili mi, noui etiam: etiam ipse erit in populum, atq; etiam ipse crescet, veruntamẽ frater eius natu minor crescet magis quàm ipse & semen eius erit plenitudo gentium. Iacobus igitur decussationem illã manuum non per errorem (vt Iosephus putabat) fecit, neq; hebescente ob senium ingenio: sed vatis instar futuros euentus per ambages denũciabat & salutarem crucem (vt*

*Zonaras*

*Zonaras ait) informabat, ac recentem populum, è gentibus conflatum, dextrum à Deo iudicatum iri & antiquiori Iudaico præferendum significabat. Nec verò de his duobus adoptiuis tãtum vaticinatus est, sed & reliquis suis liberis, in cygnea illa cantione (quam Spiritus Sãcti instinctu vitam iam cum morte commutaturus edidit) futura denunciauit: in qua partim maledictiones Rubeni, Simeoni & Leui: partim benedictiones tam spirituales vt Iudæ, quàm Corporales, vt reliquis protulit. Ruben primogenitus: prior in sacrificijs, prior in imperio, prior in paternæ hæreditatis cretione erat. Primogeniti enim in Ecclesia patrum tria priuilegia habebant: ius sacerdotij, & regni & duas hæreditatis partes. Hæc priuilegia & πρωτοβρήματα à Rubene propter incestũ cum nouerca Billa commissum auferũtur. Nam sacerdotium ad Leui, regnũ ad Iudam, duæ hæreditatis partes ad Iosephum transferuntur. Simeon verò & Leui propter interfectum Sichemum maledictis configuntur. Iudæ benedictio largissima, duas partes habet: quarum prior est corporalis. Loquitur enim de politico Iudæ regno, quod tempore Dauidis*

Cygnea cantio, seu testamentũ Iacobi.

*dis præcipuè floruit. Altera est spiritualis: continet enim vaticinium seu prophetiam de Christo: cum ait, Non auferetur sceptrũ de Iuda, nec legislator de pedibus eius donec venerit Siloh: & illum audient gentes. Ligabit ad vineam pullum suum & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolã suam & in sanguine vuæ pallium suum. Oculi eius rubent & scintillant vino: dentes eius candidiores lacte. Qui locus in Genesi facilè præcipuus amplissimam doctrinã continet de Christo, deq; vocatione gentium. Et quidem de Christo multa breui quasi aphorismo complectitur. Primò enim ostẽdit quo tempore aduenturus sit Christus: nimirum stante adhuc sceptro & politia Iudaica & durante legislatore seu ministerio docendi publico. Nam etsi Iudæi recentiores illud vaticinium de Siloh, transferãt ad tempus quo arca capta per Philisteos abducta est è Siloh vrbe tribus Ephraim, temporibus Heli sacerdotis, de quo 1. Reg. 4. id tamen verba Iacobi refutant. Etsi enim tum sceptrum aliquandiu ablatum fuit: tamen de pedibus Iudæ, hoc est, regni reliquijs aliqui duces præstantes semper fuerunt, nec ministe-*

*rium*

*rium prorsus sublatum fuit, donec Christus verus Siloh venit. Secundò describit personam Christi, qui erit Siloh, id est, filius virginis, pro qua voce, Chaldaica paraphrasis habet Messias. Vocem autem illam Siloh Petrus Galatinus lib. 4. de occultis Catholicæ veritatis cap. 4. sic interpretatur quasi χόριον seu pellem inuoluentem fœtum, quam secundinam Medici vocant: vt hæc prophetia nihil differat à prima illa in paradiso reuelata. Nam vt illic semen mulieris, non viri, caput serpentis contriturum prædicitur: ita hîc per filium secundinæ, filius virginis innuitur. Tertiò officiũ eius subijcit. Nam cum ait gentes Messiam audituras, ostendit eum doctorem fore, qui arcanum consilium de redemptione generis humani sit allaturus. Quarto loquitur de Ecclesia, quæ ceu asina oneribus peccati & omnis generis miserijs grauata, Christo ceu viti (est enim vera vitis. Ioan. 15.) alligata est. Quinto passionem Christi prædicit. Lauabit enim in vino stolam suam & in sanguine vuæ (id est vino rubro) pallium suum. Deniq; Apostolorum & ministrorum Christi gloriam & splendorem describit, quos vocat dentes lacte can-*

*cte candidiores & oculos vino scintillantes. Atq; hæc de Iudæ benedictionibus. Reliquæ benedictiones in altera cera testamenti Iacobei, ad res corporales tantum pertinent. Sic Zabulon promittuntur diuitiæ: vt semper litorales vrbes propter mercaturam opibus antecellunt. Issachar meditullium Palestinæ tenuit & captus vbertati soli, maluit tributum pendere regibus Assyrijs, quàm labores bellicos sustinere. Dan iudicauit populum & si qua alia tribus Israël, tum hæc quoq; præstantem iudicem & heroëm peperit, videlicet Samsonem, qui Philistæis fuit coluber in via & cerastes in semita. Gad duxit exercitum Ios.1. Aser pinguis panis eius, Antecelluit enim vbertate soli. Nephthalim sicut cerua, vt apparuit in Debora prophetissa Iud.5. Iosephi seu filiorum ipsius Ephraim & Manasse præcipua potentia fuit in tota posteritate. Filiæ enim regni ad muros currebant, vt eos viderent: hoc est, benè per eos gubernatæ sunt: & quanquam aliqui se illis opposuerunt, tamen arcus eorum firmi & brachia manuum ipsorum roborata manserunt. Inde Ioseph pastor & lapis Israël fuit: Beniamin lupus rapax fuit, vt ap-*

*paruit in Saul & Gabaa. Iud. 21. & in vrbe Hierosolyma, in tribu Beniamin sita, quæ fuit sedes aulæ regiæ & collegij sacerdotum & omnes reditus reliquarum tribuum instar lupi deuorauit. Hæc Iacobus elocutus & de sepultura sua mandans filijs quædam, collegit pedes suos super lectulum, & obijt anno ætatis suæ 147. In hoc verò Iacobi testamento præcipuè obseruandæ sunt similitudines. Ruben aquæ decurrenti: Simeon & Leui instrumentis violentis: Iudas leoni: Issachar asino: Dan colubro & cerastæ: Nephthali ceruæ: Ioseph ramo crescēti iuxta fontem, item pastori & lapidi: Beniamin lupo comparantur. Cæterùm Iosephus permissu Pharaonis Hebronem proficiscitur, patremq́ aromatibus conditum magno sumptu in duplici cauerna, quam Abrahamus emerat, sepelit: & fratribus dubitantibus an cum ipso reuerterentur (verebantur enim ne veterem iniuriam vlcisceretur) scrupulum illum eximit. Et ipse etiam moritur, expletis annis 110. cum mandasset vt populares sui ex Aegypto remigraturi, sua etiam ossa in Cananæam secum asportarent.*

Mors Iacobi.

Mors Iosephi.

L I-

# LIBER VII.

## MOSES.



*IN multiplici & ampla Mosis historia, in breuē synopsin contrahendæ duo capita præcipua nobis proponemus: Procœmium videlicet & Vitam seu res gestas Mosis. In procemio elogium eiusdem, argumentum Pentateuchi, chronologiam & genealogiam considerabimus. Quod ergo ad primum attinet: extat Mosis insigne Elogium in Ecclesiastico cap. 44. & D. Pauli Epistola ad Hebræos cap. 11. vnde assumat, qui volet: studio enim breuitatis & aliarum rerum infinita copia coacti, hoc loco illa prætermimus. Ex veteribus autem Ethnicis, meminerunt Mosis etiam Tacitus lib. vltimo, Iustinus lib. 36. Strabo lib. 16. vt omittam Iosephum & Zonaram. Quod verò ad secundū attinet: summa quinq; librorum Mosis hæc est. Genesis historiam de creatione mūdi & de vita patrum, Adami, Noachi, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi: ac præcipuè promissionem de semine benedicto, traditam* **Elogium Mosis.** **Argumentū Pētateuchi.**

*in Paradiso primùm Adamo, deinde repetitam ad Abrahamum, Isaacum, Iacobum, continet. Reliqui libri, Mosis vitam & res gestas, ac præcipuè Legem comprahendunt. Nam Exodus nihil aliud ferè est, quàm historia de promulgatione legis diuinæ in mōte Sinaio: deq; Ecclesiæ ac politiæ Iudaicæ cōstitutione. Leuiticus est narratio de legibus ceremonialibus & sacrificijs, quæ fuerunt typi sacrificij Christi. Liber Numerorum est historia admirādæ gubernationis populi Israëlitici, vndequadraginta annis in deserto vagantis: quæ nostrum omnium νουθεσίαι fuerunt: Deuteronomium deniq; est ampla & luculenta decalogi enarratio & explicatio. Sed nulla Mosis melior synopsis extat, quàm quæ à protomartyre Stephano Act. 7. proposita: aut in Psalmis 78. 105. 106. 114. 136. exquisitis modis decantata est. Vt igitur omnia paucis comprahendamus, duo præcipuè Moses his libris agit secundum D. Paulum 1. Cor. 10. nimirum vt νουθεσίαν & τύπους nobis proponat. Νουθεσία ad nos spectat, τύποι ad Christum. Nam Christū semen benedictum sæpè & varijs typis inculcat: vt in Exodo per agnum paschalē, per tabulas propicia-*

picia-

*piciatorij, per mannam. In Leuitico per singulas sacrificiorum leges: In Numeris per serpentem æneum, per petram à Mose percussam per stellam Iacobi, de qua Balaamus vaticinium fundebat. In Deuteronomio per prophetam, quem Deus suscitaturus esset. Sed de argumento satis. Quod ad tertium attinet: Chronologia librorum Mosis hæc est:* Chronologia.

1. *Genesis continet historiam 2310. annorum ab initio mundi usque ad mortem Iosephi.*
2. *Exodus continet historiam exitus ex Aegypto & constitutionem politiæ & tabernaculi Mosaici, quæ incidit in annum mundi 2453. qui est annus à morte Iosephi & fine Genesis 144. Erectum est autem tabernaculum die prima anni secundi post exitum ex Aegypto, qui est annus mundi 2454.*
3. *Leuiticus continet historiam unius tantum mensis, qui fuit primus anni secundi post exitum.*
4. *Liber Numerorum continet historiam 39. annorum, quibus filij Israël in eremo inter Aegyptum & Cananæam uagati sunt. Incipit autem à mense secundo exitus, & primis 14. capitibus unius tantum secundi anni historiam continet: à capite uerò 15. usque ad 20. continet ea quæ per intermedios 38. annos acciderunt. Deniq; à 20. cap. usq; ad finem, ultimi anni res gestas describit.*
5. *Deuteronomium totum, itidem res gestas ultimi anni continet: qui fuit annus mundi 2493: post quem*

*Iſraëlitæ in terram promiſſam introducti ſunt. Quod ad quartum attinet, Genealogia Moſis hæc eſt:*

Genealogia.

*Abraham*
*Iſaac*
*Iſraël*
*Leui*
*Caath*
*Amram*

*Aaron orator ſeu interpres Moſis.* | *Moſes dux & οἰκιστὴς eccleſiæ & Reip populi Iſraël.*

*Sed de Prooemio ſatis: ad hiſtoriam vitæ Moſis veniamus: in qua tria capita propoſita ſunt, Genethlia ſeu natiuitas, Vocatio, & Res geſtæ.*

NATIVITAS MOSIS.

*Cùm igitur (vt D. Stephanus 7. Act. ait) appropinquaret tempus promiſſionis, cuius cauſa Deus iurauerat Abrahæ, creuit populus & multiplicatus eſt in Aegypto: donec exortus eſt alius rex, qui non nouerat Ioſephum: hoc eſt, qui beneficiorum à Ioſepho in Aegyptios collatorum oblitus, varias in eius poſteros ærumnas excogitauerat. Nam & Nilum in plurimas foſſas deriuare & vr*

bes

*bes mœnibus circumdare, & aggeres, quibus Nili exundationes coërcerentur excitare & pyramides extruere coacti sunt. Cepit autem illa Israëlitarum seruitus sub rege Amenophi secundo, paulo ante 26. annum regni ipsius, vt ex annis regum Aegyptiacorum (quorum commune nomen Pharao erat, vt Rom. Impp. Augustus) qui apud Eusebium annotati sunt, colligi potest. Fuit autem hic Amenophis etiam Memnon dictus, cuius (vt Tacitus lib. 2. meminit) saxea effigies vbi radijs solis icta erat, vocalem sonum reddebat. Ac lōgo illi tempore ærumnas istas tolerarant, cum quidam ex sacerdotibus Pharaoni nunciat, fore vt circa id tempus quidam Israëlitis nasceretur, qui si adoleuisset, & Aegyptios depressurus & populares suos euecturus esset. Quare perterritus Pharao, omnes masculos qui Hebræis nascerentur, in flumen proiectos necari iubet: quod quicunq; parentum negligerent, cum omni familia perituros: & partus Hebræarū mulierum ab Aegyptijs obstetricibus Sephora & Phua obseruari iubet. At illæ timuerunt Deum, nec tyranno paruerunt. Oportet enim Deo magis obedire quàm homi-*

*nibus, Act. 5. Itaq; interrogatæ, cur non paruissent, responderunt Hebræas mulieres Aegyptijs esse robustiores, & ante parere quàm obstetrix adueniret. Benefecit ergo Deus obstetricibus & fecit eis domos, hoc est, locupletauit eas, deditq; eis numerosam sobolē, auxit earum familiam, rem familiarem & omnes partes œconomiæ: vt ostendatur pietatem & beneficentiam erga Ecclesiā sua præmia diuinitus habere. Atq; hic obstetricū mēdacium tam officiosum, videatur à Deo probari: at fides & pietas probata est, non mendacium. Nec Deus mendacio latebram vllam relinquit, sed mendacium omnino prohibet. Ac de illa pia contumacia, eleganter Prudentius canit:*

*Mens obstetricis sedulæ*
*Pie in tyrannum contumax,*
*Ad spem potentis gloriæ*
*Furata seruat paruulum.*
*Quem mox Sacerdotem sibi*
*Assumpsit orbis conditor,*
*Per quem notatam saxeis*
*Legem tabellis conderet.*

*Nam Amram, filius Caath, nepos Leui, cū ob edictum regis angeretur (nam vxor eius ferebat vterum) ac precatus esset Deum, in*

*somnis*

*somnis monetur, ne desperet. Nam & puer (inquit Deus) quem dixerunt Aegyptij, tutus erit & manebit incolumis & ignorantibus insidiatoribus educabitur: ac popularibus suis ex Aegyptiaca seruitute ereptis, aeterna memoria celebrabitur. Frater item eius cum suis posteris sacerdos meus semper erit. Vxor clam custodibus puerum marem ei parit anno mũdi 2373. anno ante exitum octuagesimo: quem tres menses parentes domi alunt. Sed metu tandem coacti, salutem eius Deo committunt: ac in scirpeam fiscellam argilla & bitumine illitam impositum infantem, in carectum in ripa fluminis immittunt: Mariamne pueri sorore obseruante quid de eo futurum esset. Atq; hic imago pulcherrima Ecclesiae nobis proponitur. Vt enim fiscella Mosen vehens, licet in aquis fluctuet, non tamen submergitur: ita Ecclesia omnibus temporibus velut arca in diluuio saeuis tempestatibus concitato fluctuans, non submergitur, quia Mosen, i. doctrinã à Deo traditã amplectitur. Interea Thermuthis filia Pharaonis ad ripã lusitans, fiscellã videt, tolli iubet, puerũq; visum ob pulchritudinẽ & magnitudinẽ diligit. Adducuntur*

*tur Aegyptiæ mulieres, lactaturæ puerum: at ille mammam Aegyptiam auersatur. Tum Mariamne, quasi fortuitò interuenisset, Regina (inquit) si Hebræa mulier vocetur, fortaßis admittet mammam infans. Illa vocari iubet: adducitur pueri mater cui Thermuthis alimoniam eius mercede locat, nomine ex euẽtu imposito. Moses enim tractum ex aquis significat. Mosem verò tres annos natum, & staturæ proceritas & formæ elegantia, beneficio quodã numinis decorabant: ingenium porrò supra captum ætatis in eo elucebat. Thermuthis itaq; orba liberis, eum adoptat, ad patrem affert. Is puerum complectitur & diadema per blanditias ei imponit: quod puer (vt fert illius ætatis simplicitas) humi abijcit, pedibusq; insistit. Quo is sacerdos, qui è gẽte Hebræorum oriturum dixerat, qui Aegypti regnum depressurus esset, conspecto: exclamans: Hic (inquit) ille puer est: hoc interfecto, Aegyptios metu libera. Sed Thermuthis puero erepto anteuertit, & Pharaonem Deus segniorem ad cædem reddiderat. Aetate progressus Moses, cum Hebræum ab Aegyptio quodam flagellari cerneret, ira commotus eum ob-*

*obtruncauit & in arena tumulauit. Cuius rei conscientia cōmotus, regisq́ insidias veritus, in terram Madian aufugit, ac sacerdotis eius loci hospitio vtitur, qui nomine duplici præditus Raguel & Iethro vocabatur. Is filiam suam Sephoram Mosi vxorem despondet, & curam gregum mandat. Hæc de Mosis genethlijs: veniamus ad eius vocationem.*

## VOCATIO MOSIS.

*Cùm igitur Moses in deserto ad Horebū montem pecus pasceret, cernit miraculum illud rubi, qui cum arderet, non cremabatur. Deinde vocem etiam inde audit, quæ progredi vetaret & calceos exuere iuberet: qđ locus ille sanctus esset: quæq́ futura prædiceret: & abire in Aegyptum iuberet, vt spoliatis Aegyptijs populares suos ex illis ærumnis eriperet: quos cum eduxisset ex Aegypto, sacra in loco illo faceret. Hæc Mosi diuinitus è flamma significantur. Cæterùm is dubitabat, quo pacto vel popularibus suis ꝑsuaderet, vel à Pharaone extorqueret exitum: cùm Deus ea se facilima redditurum pollicetur: in cuius rei fidem tria miracula,*

*vocationis testimonia Deus edidit. Nam primò baculum humi proijcere à Deo iussus est: quo facto, is serpens extitit: receptus, in baculum redit. Deinde manum in sinum abdere iussus, protulit instar niuis candidã & leprosam: quæ mox & ipsa pristinum colorem & carnem recipit. Tandem aquam è propinquo petitam effundere iussus, cruentam videt. At Moses singulari quadam modestia, difficillimam & periculosissimã vocationem educendi Israëlitas ex Aegypto, recusans, tarditatem linguæ & balbutiem infantiamq́; suam prætexit: sed Deus auxilium suum illi promittit, Aaronemq́; ceu interpretem & oratorem illi se adiuncturum pollicetur. Ita mira diuinorum donorum varietas ac dissimilitudo est, nec vni omnia, sed singulis sua diuinitus concessa sunt: vt Mosi σύνεσις, sapientia, consilium, donum edendi miracula: Aaroni δύναμις ἑρμηνευτικὴ & eloquẽtia data est. Nam, vt Paulus 1. Corinth. 12. ait, τὸ πνεῦμα διαιρεῖ ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. His igitur portentis & promissionibus Moses confirmatus, assumptis vxore & ex ea susceptis liberis Gersone & Eleazaro: in Aegyptum proficiscitur.*

*tur. In itinere, angelus domini ei occurrens, grauißimo morbo eum affligit. Nam (vt est 17. Genes.) præputiatus qui non circumcidetur carne præputij, vtiq; exterminabitur anima illa de populo suo, pactum meum irritum fecit. Itaq; Mosen quia filiolum quem ex Sephora gentili susceperat, nimia indulgentia non circumcideret, Deus interficere voluit. Atq; hæc de vocatione Mosis: sequuntur res ab ipso gestæ: vt Eductio populi Israëlitici ex Aegypto & Nomothesia seu Legislatio.*

## EDVCTIO EX AEGYPTO.

*Quod ad eductionem attinet, causa eius fuit Tyrannis & barbaries Pharaonis, Hebræos iniquißimis quotidianorum operũ exactionibus opprimentis. Itaq; Mosi ad limites Aegypti progresso, frater Aaron occurrit: ambo Pharaonẽ adeunt & Dei mandatis expositis monent, ne diuino cõsilio aduersetur. At ille audita Mosis legatione, fit rabiosior, & grauiore laborum ac ærumnarum mole Israëlitas premit, lateresq; duplicari iubet. Vnde vulgò prouerbiũ factum est, Quando duplicantur lateres, tũc venit Moses.*

*Moses. Pharaone itaq; per Deum (vt plusquàm decies in hac historia Moses loquitur) indurato, illi miracula edunt. Baculus proiectus fit serpens. Quod incantatoribus Aegytiorum imitatis, versis illorum etiã baculis in serpentes, rursus Moses suum baculum humi proijcit: qui in serpentem mutatus, baculos Aegyptiorum, qui serpentium speciem habebant, deuorat: deinde in suam formam reuersum recipit. Pharaone verò se offirmante, decem plagæ in Aegyptum inducũtur, quas Naziazenus his versibus comprehendit:*

μάστιγας αἰγύπτοιο κακόφρονος αἶψ' ἀρίθμει,
    ὥσχ' ὑποτρομέης κάρτεϊ τῷ μεγάλῳ.
αἵματι μὲν πρώτιστον ὕδωρ ἐρυθαίνετο γαίης:
    δεύτερον αὖ βατράχους ἔβρυσεν ὀλομένους.
τὸ τρίτον αὖ σκνίπεσσιν ἀὴρ καὶ γαῖα καλύφθη:
    καὶ κυνόμυια φάνη τέτρατον ἐξαπίνης.
πέμπτον τετραπόδεσσιν ἐπέχραε λοιγὸς ὄλεθρος,
    φλυκτίδες ἀνθρώπων σώμασιν ἕκτον ἄχος.
ἕβδομον ὗσε χάλαζα μέση πυρὸς ὄμβρος ἄμικτος:
    ὄγδοον ἐξ ἀκρίδος ὤλετο χλωρὸν ἅπαν.
ἔνατον αἰγύπτοιο πέδον κατὰ νὺξ ἐκάλυψε.
    πρωτοτόκων δὲ μόρος ἡ δεκάτη βάσανος.

*Veteres easdem his Latinis versiculis complexi sunt:*

Prima

*Prima rubens unda: Ranarum plaga secunda:*
*Inde culex tristis: post musca nociuior istis:*
*Quinta pecus strauit: uesicam sexta creauit:*
*Postq́ subit grando: post bruchus dente nefando:*
*Nona tegit solem: primam necat ultima prolem.*

*Vel vt nos fecimus breuius:*

αἷμά τε καὶ βάτραχοι, σκνῖπες, κυνόμυια, μόρος τε
τετραπόδων, φλυκτίς τε, χάλαζά τε, ἀκρίδες, ἡ νύξ,
πρωτοτόκων θάνατος, δέκα μάστιγες αἰγύπτοιο.
*Sanguis, rana, culex, muscæ, pecus, ulcera, grando,*
*Vermes & tenebræ: pestis primo genitorum.*

*Primò .n. Nili fluminis aqua in sanguinē mutata est; vt propter cædem infantū, quos Pharao in flumine submergi iusserat, punirentur: vtq́ scirent, quòd per quæ quis peccat, per eadem & plectitur: vt est Sapient. 11. Deinde ranæ omnem terram Aegypti occupant. Tertiò Cinnim è terra scaturiunt. Rabbi Salomon vocem Hebræam inquit pediculos significare. Septuaginta verterunt κνίπες seu σκνίπες. Inde in Latinam versionem irrepsit vox Cyniphes. Sunt autem σκνίπες, teste Origine, animalia minuta, volucria, adeò exigua vt oculis nō benè cerni possint, sed tamē acerbissimo stimulo corpus terebrantia. Ac cætera quidem miracula etiam Pharaonis præstigiatores vide-*

*bantur*

*bantur imitari: pediculorum aūt spectrum, quia effingere non poterant, Pharaoni dicebant, illum digitum Dei esse. Verùm cum is nihil crederet, quartò ingruebant muscæ. In Græco est κυνόμυια: in Hebræo Arob: quæ vox significat misturam seu turbam varij generis insectorum noxiorum, vt sunt vespæ, crabrones, locustæ, scarabæi, scorpiones: item serpētes. Hinc Sap. 11. Quia colebant mutos serpentes & bestias viles, immisisti illis multitudinem animalium mutorum in vindictam, vt scirent, quia per quæ quis peccat, p eadem & punitur. De illa Aegyptiorum superstitione multa habet Iuuenalis in Satyra 15. & Diodor. Sicul. lib. 1. Quintò perierunt pecudes peste. Sextò cum Moses fuligine caminorum aërem oppleuisset, vlcera & pustulæ tam in hominibus quàm pecudibus efferbuerunt. Septimò grando depluit: de qua Sap. 16. Octauò locustæ sunt secutæ: post quas nonò Aegyptum tenebræ palpabiles tres dies operuerūt. Vltimò primogenitorū interitus est consecutus. Nam cum occalluisset Pharao, iussit Deus Mosem sacrificium in diem 14. Mensis primi seu Nisan (qui in nostrum Martium & Aprilem incidebat)*

*cidebat) apparare. Quæ dies 14. cum adesset, sacrificant omnes & victimarum sanguine limina ædium inungũt: cœnaq; peracta, reliquias comburũt. Vnde ex illo tempore festũ Hebræi celebrant circa id tempus & sacrificant: quod festũ Pascha vocant. Id alij transitum interpretantur: Iosephus præteritionem, quòd Deus nocte illa Hebræis præteritis, Aegyptios interitu primogenitorũ afflixerit. Sed in hoc festo explicando, plura considerãda sunt. Primò causæ eius omnes: Secundò leges duæ, vna de azymis, altera de primogenitis. Tertiò allegoria istarum ceremoniarum. Quartò de celebratione nostri pascatis. Quod ergo ad causas pascatis attinet: Iehoua victimam sumere iußit agnum aut hœdum qui esset perfectus, masculus, anniculus, nullo osse cõfractus, assatus cum herbis amaris, vt lactucis, totus (aut reliquiæ comburebantur) edebatur à circumcisis eiusdem familiæ, aut etiã assumptis aliquot vicinis, omnibus succinctis, calceatis, baculo nixis, in loco quem Deus elegisset, decimoquarto die Martij, inter duas vesperas seu vespertino crepusculo, nec ad lucem pernoctando, festumq; septem dies continuabatur in me-*

Institutio pascatis & eius circumstantiæ.

*in memoriam educti ex Aegypto Israëlis: & pascha seu transitus dictus, quia Deus transiens percußisset Aegyptios, Hebræis autē pepercisset. Hæc omnia* ἀλληγορούμενα *sunt Nam (ut Apocalyps. 13. dicitur) Christus est* τὸ ἀρνίον ἐσφαγμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου: *& ut est 1. Pet. 1.* οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθημεν ἐκ τῆς ματαίας ἡμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου. ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου χριστοῦ προεγνωσμένου πρὸ καταβολῆς κόσμου, φανερωθέντος δὲ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων. *Lex de azymis seu fermento expurgando, præclare à D. Paulo 1. Corin. 5. explicatur.* μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθώς ἐστε ἄζυμοι. καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη χριστός. ὥστε ἑορτάζωμεν μὴ ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. *Lex de primogenitis Deo offerendis typus fuit Christi filij Dei primogeniti, qui pro nostris peccatis* ἀντίλυτρον *fuit. Quod autem ad nostrū hodiernum pascha attinet, eius ratio in Synodo Nicena constituta est. Nam, ut historia ecclesiastica docet, post Apostolorum tempora graues cōtrouersiæ de obseruatione pascatis*

*ſcatis inciderunt. Aſiatici enim feſtum paſcatis, iuxta Moſis inſtitutum, celebrabãt 14. Luna ſeu plenilunio primi menſis, quacunq; tandem ſeptimanæ feria dies ille veniret. Sed Occidentales eccleſiæ, ne cum Iudæis conſentire uiderentur, paſcha obſeruabant in die dominico qui proximè ſequebatur 14. lunam. Synodus igitur Nicena (quæ 18. anno Conſtantini M. Chriſti verò 323 contra Arium congregata eſt) decretum fecit, vt feſtum paſcatis celebraretur dominico die, qui plenilunium ſeu 14. lunam primi menſis (quem terminum paſchalem vocant) proximè ſequeretur. Sed hic modus nõ per omnia reſpondet veterum voluntati: cũ hodie propter æquinoctiorum anticipationẽ, paſcha noſtrum, Iudaicum ſequatur non rarò integro mẽſe. Sed vt ad hiſtoriam reuertamur, Aegyptij interitu primogenitorum afflicti, orant Pharaonem, vt Hebræos dimittat. Iubente illo, & Aegyptijs vrgẽtibus, erumpunt Hebræi: quorum fuere (militaris duntaxat ætatis) ſexcenta millia. Hîc igitur diuina erga pios miſericordia præcipuè apparet: qui Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Ioſephi fidem ampliſsima remuneratione remunera-*

*tum est, ut pro septuaginta capitibus, quæ duce Iacobo in Aegyptum ingressa sunt, sexcenta posterorum millia duce Mosi ex Aegypto egressa sint. Exierunt autem ex Aegypto decimaquinta oriente Luna, annis quadringentis & triginta postquam Abrahamus ex Charan in Cananæam vocatus est & de semine benedicto promissionem accepit, vt apparet ex D. Paulo 3. Galat. vbi ait:* τῷ ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι· μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος, *&c. De qua re vide Paulum Crusium in libello de Epochis. Fuit autem hic annus post Iacobi in Aegyptum migrationem ducentesimus decimus quintus, Mose tum annos 80. nato, quem Aaron triennio superabat: vt Zonaras annotauit. Iosephus quoque lib. 2. cap. 6. tum etiam Philo ac Rabbi Leui Gersonis filius, tempus illud annorum 430. incipere aiunt à profectione ipsius Abrahami in Aegyptum, cum natus esset annos 76. Ex quo verò Iacob in Aegyptum venit vnà cum familia sua, ad exitum, numerant annos centum & decem sicut & Iudæi. quos eruditus quisque sequitur, exceptis paucis, qui putant errorem irrepsisse in verbo* τριακοσιως

*pro*

*pro τετρακοσίοις. Quod quidem in 7. cap. Actor. & in epistola ad Galatas, quæ Græcè scripta sunt, ferri potuit: sed locus Exodi 12, Hebraice scriptus, hunc errorem non admittit. Tutius igitur est Hebræorum interpretationes tueri, præsertim cum Beroso & Metasthenis fere congruant. Sed Moses ex Aegypto egrediens, ossa Iosephi quemadmodũ ille mandarat secum asportauit. Quantum sepeliendi & tumulandi studium Hebræis fuerit, declarauit superius in spelunca Abrahamus, declarauit & Iosephus, qui Iacobi patris corpus ex Aegypto in Palæstinã tanto comitatu planctuq; retulit: declarat & Moses hîc, qui ossa Iosephi ex ipsius testamento mandato in idem sepulchrum reportat. Sic itaque Israelitæ proficiscebantur, vt eos Iehoua præcederet per diem in columna nubis: & per noctem in columna ignis. Quam Iehouæ præsentiam Esaias cap. 4. ad Ecclesiam vniuersalem accommodat: cum ait. Creabit dominus super omnẽ locum montis Sion (id est Ecclesiæ) & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorẽ ignis flammantis in nocte. Nam aduersus fulgorem erit tegumentum, & aduersus æstum erit ten-*

*turrem in umbraculum & securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. Hæc illa. Hebræi itaque non tantum Aegypto exierunt, sed Aegyptios etiam per speciem commodati auro, argento, veste spoliarunt. Non quod Deus spolium laudarit (Deus enim ne boni quidem cuiusquam causa malum vllum permittit) sed cum donabat Hebræis Aegyptiorum bona, sua bona donabat, quæ cõmodauerat Aegyptijs, vel reposcebat quæ Hebræis Aegyptij debebant. Venustam autem huius spolij allegoriam Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 40. recenset. Sicut Israelitæ (inquit) idola & vasa aurea & argentea Aegyptiorum auferunt & ad iustos & Deo placentes vsus conferunt: Sic Christiani philosophiam & disciplinas liberales, quæ in ethnicorum libris extant, non eò prorsus relinquere debent, quòd ethnici eis impiè abutebantur, sed ad iustum prædicandi Euangelij vsum transferre debent. Verumenimuerò Aegyptij pœnitentia acti, correptis armis Hebræos (qui ex vrbe Ramese egreßi, à Sucoth & Etham, ad tertiã mansionem Pihachiroth peruenerant) persequi ceperunt, curribus 600. equitibus quinquagies*

*gies mille, & ducentis millibus peditū. Israëlitæ in eas angustias redacti. (Nam Pihachiroth sunt fauces montium contiguorum sinui Arabico seu mari rubro, inter Magdolum & mare versus BaalZephon) æstuare & vix à lapidatione Mosis sibi temperare. Ille hortari, vt se ad mare sequerentur. Ibi in litore stans, Iehoua inuocato, mare baculo percutit. Quo facto cum mare discluderetur, & pedibus peruium fieret: Israëlitæ festinanter transeunt. Quod videntes Aegyptij, equite in fronte collocato, persequuntur. Iam autem Israëlitis in oppositum littus citra noxam egressis, aqua à Mose virga percussa, vt in suum locum regrederetur: fluctibus coeuntibus Aegyptios mare obruit. Regem qui cum alijs, in mari rubro perijt, Eusebius & Berosus Chencren vocant. Cæterùm ex descriptionibus Ptolemæi & aliorū, apparet, mare rubrum ferè 15. milliaria latum fuisse eo loco vbi Israëlitæ transierunt: quare aliquot dies in transitu consumendi fuerunt. Hæc eductio Israëlitarum per mare rubrum (quæ incidit in annum orbis conditi 2453. cuius etiā Iustinus lib. 36. meminit) est imago periculorum & liberationis Eccle-*

**Eductio per mare rubrū.**

*[illegible]ampij ex Aegypto & regno diaboli egressi, in desertum veniunt: inopia, fame, nuditate, periculis exercentur: sed tamen duce Deo per medias tempestates & procellas salui ad portum perueniunt. Diuus Paulus 1. Corin. 10. ad Baptismum accommodat.* οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, καὶ πάντες εἰς τὸν μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ ἐν τῇ θαλάσσῃ. *Vt enim nubes protectio est aduersus aestum Solis: ita Baptismus protectio est aduersus ardorem iudicij Dei, ne exurat nos gloria maiestatis vultus eius. Vt Israelitæ per mare rubrum, ceu per mortem & sepulchrum ex Aegypto in terram promissam vehebantur: ita nos per baptismum ex morte ad vitam transimus. Itaque Aegyptijs vniuersis in mari rubro submersis, Israelitæ laudibus Iehouam læti celebrant: Moses etiam* ἐπινίκιον *concinit, sicut & soror Aharonis Maria: Quin & arma Aegyptiorum cum corporibus eorum à vento in littus eiecta, ceu opima spolia Israelitæ capiunt, sibique accommodant. Hinc Israelitæ per triduum in deserto (vbi quartam mansionem habuerant) duce Mose, vagantes per-*

Aquæ Marath. Acidulæ. Saurbrũ.

*peruenerunt ad Marath, quintam mansionem: cuius aquæ cum ob amaritiem potari non possent: rursus contra ducem fremunt. Is Deum prius comprecatus, ligno quodam in puteum coniecto, aquam dulcem reddidit. Iosephus non credere videtur aquæ saporem miraculo mutatum, sed naturaliter id accidisse. Ait enim Mosem ligno in aquã coniecto, exhauriri aquam iussisse, ac dum illi intenti essent operi, aquam continentibus ictibus exercitatam & expurgatam, potabilem tandem esse factam. D. Hieronymus in principio commentariorum in Oseam* ἀλληγορικῶς *hanc historiã explicat. Marath enim imaginẽ legis facit, q ligno patibuli (i. crucis Christi) dulcoratur. Siracides cap. 38. historiam ad laudationẽ artis medicæ trãsfert. Sexta mãsio Israelitarum ad Elim fuit, vbi XII fontes aquarũ & palmetũ 70. palmis opacũ inuenerũt. Inde digressi, septima castra locarũt ad sinũ diffundẽte se de mari rubro. postea venerũt ĩ desertũ Sin, vbi octaua castra metati sunt 15. die mẽsis secũdi, i. 30. die post exitũ è terra Aegypti. Hoc in loco cõsumptis azymis panibus & massa farinaria, quam ex Aegypto secum tulerat, contra Mosen mur-*

Coturnices. *murmurarunt. Eodem die, Vesperi coturnicum multitudine castra repleta sunt, & in posterum panis copia promissa est. Pluit autem* Manna. *illis Iehoua Mannam de cœlo, dulcedine melli parem, magnitudine & figura grano coriandri similem. Est autem Manna ab eis appellata, cum dubitarent, quid esset hoc. Ma enim hu dicebant, hoc est, quid hoc? vt Iosephus tradit. Iussus autem erat quilibet Gomor ex eo colligere: quo si quis plus collegisset, postridie non erat esui, & vermibus & fœtore corruptum. Est autem Gomor mensura Hebræa continens propemodum septem sextarios. Est enim decima pars Ephi, quæ continet 72. sextarios, autore Iosepho. Vide Glareanum cap. 8. De Asse. Hoc victu annos XL sunt vsi, donec è deserto in Cananæam peruenerunt. Cæterùm Manna typus est Christi, vt ipse Christus Ioan. 6. de se nominatim interpretatur.* ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. *Scribunt autem Cyprianus in concione de cœna Domini & Chrysostomus in homilia, Nemo læditur nisi à seipso: Mannam hanc naturam habuisse, vt quotidie nouus*

*nouus esset cibus, & saporem suum pro vescentium desiderio praeberet: quod ex cap. 16. Sapient. sumpserunt, vbi dicitur: Manna, Angelorum esca nutriuisti populum tuum, quae sinebat se transformari, coqui, assari pro cuiuslibet desiderio: vt scirēt filij tui, quòd non nascentes fructus pascunt homines, sed sermo tuus. Verum Israelitae ex deserto Sin progreßi, nonis castris ad Daphca, decimis ad Alusch, vndecimis ad Raphidim peruenerunt: qui locus cum & ipse aquarum expers esset, siti contra Mosen extimulantur. Is igitur eum locum Massam & Meribam, id est, tentationem & iurgium appellauit, quòd (vt D. Paulus 3. ad Heb. ait) Israëlitae in deserto Iehouam tētassent. Precatus autem Iehouam, iubetur baculo percutere petram quae erat ad montem Horeb: quo facto, aquae limpidißimae copia erupit. Haec Petra Christus fuit: vt D. Paulus hunc locum cum Manna coniungens interpretatur. Sic enim ait 1. Corinth. 10.* πάντες πατέρες ἡμῶν τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον· καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον. ἔπιον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. *Et sic ipse Christus Io-*

Aqua ex petra producta.

*an.4.ait: se dare aquam viuam.* τὸ ὕδωρ τὸ ζῶντος ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος ὃ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον: *& iterum cap. 7.* ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ (καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ) ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσι ὕδατος ζῶντος. *Inde Amalecitæ, finitimis etiam in auxilium euocatis, contra Israelitas bellum mouent. Sunt autem Amalecitæ populus Idumeæ, in finibus tribus Iudæ versus meridiem. Moses itaq; bellicosis à reliqua turba segregatis, & Iesu Naue filio (cuius in histo ria primum mentio fit, qui q; postea Israelitas per siccatum Iordanem in terram promissam induxit) illis duce dato, ac parte exercitus ad aquarum custodiam relicta, ipse montem Aharone & Hure (marito Mariæ) comitatus ascendit. Prælij igitur tempore tantisper dum supplices manus pro Hebræis orans attolleret, Hebræi vincebãt: simulatq; demitteret, vincebantur. At cum Moses & manibus & reliquo corpore debilitatus ægrè staret, Aharon et Hur lapidem in quo assideret, supposuerunt, assidentisq; manus, alter dextram, alter sinistram ad solis occa-*

*Pugna cum Amalecitis.*

*sum*

*sum sustinuerunt, dum Iosua duce Hebræi Amalecitas internecione delerent, tumque Iehoua Mosi hoc monumentum posteritati prodendum mandauit, Moses que altare ædificauit, inscripsitque Iehoua Nissi, id est, vexillum meum: ac dixit manum Dei esse super thronum. Ex quo vno exemplo apparet, quantum precibus hominum nõ fucatis neque simulatis, sed interiore animi conuersione septis & comitatis delectetur Deus: quamque istius adorationis cultu moueatur ad immensa hominibus beneficia conferendum, vt optimo iure precatio in humanæ vitæ contentionibus & periculis quasi signum quoddam & vexillum pijs omnibus ad benè sperandum sublatum, ex illoque throno Dei manus potentiaque ideò expectãda & imploranda, modus dènique diuinorum beneficiorum vna veræ precationis mẽsura metiendus esse videatur. Interea Moses cum Israelitis in deserto hærens à Iethro socero salutatur: qui cum generum Mosen negotijs obrutum viderit, omnibus eum adeuntibus, suadet vt iuris dicundi prouinciam alijs mandet: ipse maiorum rerum cura suscepta, saluti populi consulat, & præfectos designet,* Moses ius dicit & iudicia cõstituit.

*qui*

*qui millenis, qui centenis, qui quinquagenis, qui denis præsint. Qui locus illustre testimonium est de Iudicijs & toto ordine Politico, quòd scilicet Deo placeat & politicæ gubernationis officia obire, magistratus gerere, iudicia exercere permissum sit. Sed præclarè Iethro Iudicum quoq; officia & virtutes describit: cum ait: Prouide ex omni populo viros sapientes & timentes Deum & in quibus sit veritas & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis Tribunos & Centuriones & Decanos. Prima enim Iudicis virtus est Sapientia seu peritia iuris: & rectè Plato in Lachete:* ἐπιστήμῃ δεῖ κρίνειν, *& Phocylides:*

μηδ[illegible] κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
Iudicis officium noli committere stultis.

*Accedat deinde necesse est Timor Dei, ne corruptus fauore aut odio, vel pculsus metu, falsa & iniusta contra conscientiam iudicet. Iudex enim duplicem salem habere debet, vt vulgò aiunt: vnum scientiæ, sine quo est insipidus, alterum conscientiæ, sine quo est diabolicus. Requiritur autem et Veritas, quæ complectitur diligentiam &* εὐνομίαν. *Diligentia quidem in causa accuratè cognoscenda*

*scenda & vtraque parte audienda consistit. Sic apud Athenienses iubebantur iudices in iureiurandi formula* ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. *Et eleganter idem Phocylides:*

μήτε δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.


*Ideò Alexander M. vt est apud Plutarchum, cum accusatorem audiret, alterã aurem manu obturare solitus est: significans eam se reo integram seruare velle.* Εὐνομία *verò inflectit sententiam iudicis ad normã legum, ne scilicet aliter iudicet quàm legibus, aut constitutionibus aut moribus proditum est. Detestandi igitur sunt* χειροδίκαι. *Recteque Cicero pro Cluentio inquit, esse sapientis iudicis, semper non quid ipse velit, sed quid lex & religio cogat, cogitare. Et Xenophon lib. 1. Pædias in iudicio pueri Cyri de lõga & curta toga, ait* σὺν τῷ νόμῳ δεῖν δικαστὴν τὴν ψῆφον τίθεσθαι. τὸ γὰρ νόμιμον δίκαιον εἶναι. *Huc pertinet &* ἰσονομία, *id est, æquabilitas iuris, ad euitandam* προσωποληψίαν. τὰ γὰρ ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ: *& vt Plato lib. 6. legũ ait,* τὰ ἴσα ἀνίσοις, ἄνισα γίγνεται: *& prouerbio dicitur: Idem Actio quod Titio. Recteque apud Homerum vituperatur ille, apud quem est,*

[illegible] ἢ μὴ [illegible] καὶ [illegible]ος.

*Quarto inesse debet in iudice & Abstinentia, Nam ut ait Cicero lib. 2. Offic. Nulla re facilius beneuolentiā multitudinis possunt conciliare ij qui Reip. præsunt, quàm abstinentia & continentia. Caput ergo est in omni procuratione negotij & muneris publici, ut auaritiæ pellatur vel minima suspicio. δωροδοκία igitur & δωροφαγία (quæ, ut apud Demosthenem est, [illegible] ἀπληγας ποιεῖ [illegible]) fugiendæ sunt, ut sanctè, innocenter, integrè et ἀδωροδοκήτως iudicia administrentur. Nota est ex Herodoti lib. 5. historia de Sisamne iniusto iudice, cui Cambyses cutem detraxit & tribunali intendit. Narrat etiam Plutarchus in Thebis Aegyptijs statuas iudicum manibus carentes & præsidis iudicij oculis etiam conniuentibus positas esse. Quibus de δωροφαγία & προσωποληψία fugienda monebantur. Denique illud etiam boni iudicis est, ut ordinem teneat in distributione officiorum, utque leuiores causas inferioribus iudicibus, grauiores verò superioribus committat. Atque hactenus de eductione ex Aegypto & cæteris quæ Israëlitis contigerunt ante legis promulgatio-*

*gationem: sequitur* Νομοθεσία.

## NOMOTHESIA SEV LE-GISLATIO.




*In Nomothesia aũt Mosaica, tria sunt obseruanda. Procœmium. Promulgatio & Epilogus. Israëlitæ igitur ex Raphidim progressi, ad Sinam montem duodecimis castris consederunt: ibiq; 50. post exitũ ex Aegypto die legem acceperunt. Sed enim Hebræus populus grauissima Aegypti seruitute oppressus, in deserto sine pane, sine vino sustẽtatus, tot ac tantis antecedentibus miraculis excitatus etiam diuinæ legis mirabili procœmio ad obsequendum comparatur: quod tribus partibus constat, vt est 19. Exodi. Primò commemoratione diuinorum beneficiorum. Vos vi-*

*distis*

*distis (ait Iehoua) quæ fecerim Aegyptys et quomodo tulerim vos super alas aquilarũ, & adduxerim vos ad me: tum ergo si obediendo obedieritis voci meæ & custodieritis pactum meum, eritis mihi thesaurus dilectus præ omnibus populis: quia mea est vniuersa terra, vos autem eritis mihi regnum sacerdotale & gens sancta. Hæc prima proœmÿ pars è commemoratione perceptorũ beneficiorum & promissione futurorum, insignem vnà descriptionẽ Ecclesiæ totius mundi continet. Est enim Segylla, hoc est, peculiũ Dei & preciosissimum κειμήλιον, thesaurusq́; vnicè Deo charus, & regale sacerdotium & gens sancta. Et sic D. Petrus 1. Epist. cap. 2. Ecclesiam Asiaticam ἱεράτευμα ἅγιον, sacerdotium sanctum. & paulò pòst, γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸν εἰς περιποίησιν vocat. Secunda proœmÿ pars constat sanctificatione. Nam iussu Iehouæ populus sactificatur à Mose, lauat vestem, triduoq́; ab vxorum consuetudine abstinet, iubeturq́; ad Sinaium montẽ adesse, sed mortis interdicto non propius positis terminis. Tertia pars est cõsternatio populi. Nã cũ p̃terito triduo dies illuxisset, tonãt fulgurãtq́;*

tonitrua & fulgura, lampades ardentes, densissima nubes opacat montem [illegible] ipse (quia Deus in igne super eum descendisset) fumat, vehementiq́; [illegible] concutitur: tum clangor buccinarum intentissimo [illegible] & [illegible] crebrescente sono personat, adeo ut universus populus non modo [illegible] sed [illegible] perhorresceret. Atq; huius [illegible] velut [illegible] Moses ipse exponit in Exodi [illegible]: [illegible] quia ut [illegible] vos, venit Deus, & ut [illegible] ante conspectum vestrum [illegible]. [illegible] rea tamen h[illegible] & [illegible], h[illegible] lampades ardentes, h[illegible] fumus, h[illegible] hic clangor, docent [illegible] proprio effectu legis, quae nihil aliud [illegible] quo peccatorum animi [illegible] & consternantur: aut buccinae [illegible] ad [illegible] omnes homines [illegible] docent[illegible] Deum esse ignem consumentem, qui [illegible] delet & devorat. Atque hoc tam terribile graveque legis proœmium fuit.

PROMVLGATIO LEGIS
diuinæ seu decalogi.

*Cæterùm legis promulgatio facta est anno mundi 2454, die quinquagesimo à pascha [illegible], unde & Pentecoste Græcis dicta est. Celebrarunt enim Israelitæ pascha die 14 mensis primi. Cum autem iidem mensibus lunaribus [illegible] triceni [illegible] sunt ex primo mense dies 16, quibus additi 30 sequentis mensis [illegible] faciunt 46. Mensis autem tertij die primo, qui est [illegible] 47 [illegible] unt in [illegible] & die [illegible] sicut est dictum [illegible] quinquagesimo lex à Iehoua [illegible] Sinai promulgata est. In hac igitur legislatione [illegible] tria consideranda sunt. Species. Exempla & Interpretatio. Quod ad species legis attinet, alia est Aeterna, alia Temporalis. Aeterna est Decalogus, quæ perpetua & immutabilis [illegible] divina [illegible] dicitur, moralis item & naturalis. Leges [illegible] ipsi naturâ sunt hominum [illegible] & perfectæ, multisque ante [illegible] ac temporibus in hominum mētibus ingeneratæ sunt, quàm lapideis tabulis inscriptæ. Cur igitur*

Lata

lex est lex? Transgressionum gratia addita est, τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ut ait D. Paulus 3 ad Galat. Ut scilicet homines coargueret peccati & ostenderet iudicij diuini sententiam aduersus impios & ἀνόμους. Nisi enim [illegible] lege notitia, diuinitus [illegible] repetita esset, fuisset in hac natura depravatione ex hominum mentis omnino sublata [illegible]. [illegible] lex seu decalogus in duas tabulas [illegible] quarum prior [illegible] ad gloriam Dei, posterior ad humanae vitae [illegible] spectat. Et sic Christus [illegible] cum ait: Primum & magnum mandatum est, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota cogitatione tua. Secundum [illegible] est huic, Diliges proximum tuum [illegible]. Ab his duobus mandatis tota Lex & Prophetae pendent. Priori tabulae quatuor praecepta, posteriori sex tribuunt Athanasius, Origenes, Chrysostomus, Nazianzenus, Hieronymus & Ambrosius. E quibus Nazianzenus etiam ea his versibus est complexus:

Τῶν [illegible] χάραξ [illegible]
[illegible] σὺ δὲ μοι [illegible]

Tabulae decalogi.

P [illegible] ἐγνάσ

[illegible]

*Prioris tabulæ duo priora præcepta ad ani-*
*mum solum spectant, continent enim pieta-*
*tem in cultu Dei, & fugam idololatriæ. Ego Ieho-*
,, *ua Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto, e do-*
,, *mo seruorum. Non erunt tibi Dii externi an-*
,, *te faciem meam: non facies tibi imaginem*
,, *lapideam aut ligneam, atque ullam similitu-*
,, *dinem eorum quæ sunt in cælo superne, aut*
,, *quæ in terra inferne aut quæ in aquis infra*
,, *terram: non incuruabis te illis, neque seruies*
,, *illis. Quia ego Iehoua Deus tuus sum potens,*
,, *Zelotes, vindicans quidem peruersitatem*
,, *patrum in liberis, in nepotibus, in pronepo-*
,, *tibus odio habentium me: in seruantes autem*
,, *beneficentiam in millesimam posteritatem, qui*
,, *me diligant & mandata mea custodiant. Re-*
*liqua duo ad corpus & animum simul atti-*
*nent in fuga periurii iurisiurandi & sanctifi-*
*catione sabbathi. Non assumes nomen Ieho-*

*ua Dei*

*ni Dei tui temere: quia Iehoua non relinquet eum immultum, qui assumpserit nomen eius temere. Recordare diē Sabbathi, vt sanctifices eum. Sex quidē diebus operaberis & facies omne opus tuū. Dies autem septimus erit Sabbatum Iehouæ Dei tui, non facies opus vllum. Tu aut filius tuus, aut filia tua, seruus tuus, aut ancilla tua, aut iumentum tuū, aut peregrinus tuus qui est in tuis portis. Nā sex diebus fecit Iehoua cœlum & terram, mare & omnia quæ sunt in eis, requieuitq; die septimo: propterea benedixit Iehoua diei Sabbathi, & sanctificauit eum.*

*Posterioris vero tabulæ præcepta pertinent partim ad officia hominum, partim ad cogitationes. Mandata [illegible] sunt vel pietatis in parentes, vel mansuetudinis in cordis commotionibus, vel temperantiæ in [illegible] libidinibus, vel iustitiæ contra iniquitatē furti & falsi. Honora patrem & matrē tuam, vt prolongentur dies tui super terrā, quam Iehoua Deus tuus dat tibi. Non facies homicidium. Non adulteraberis. Non furaberis. Non testificaberis aduersus proximū tuum testimonium mendax. Vltimum mandatum est de cogitationibus flagitiosis & aua-*

,, ris fugiendis. Non concupisces domum pro-
,, ximi tui: non concupisces uxorem proximi
,, tui, aut servum eius, aut ancillam eius, aut
,, bovem eius, aut asinum eius, aut ullam rem
quae sit proximi tui. Atque haec de aeterna lege,
cui lex bona mandatorum de altari [illegible]
subiicit. Altare de terra facietis mihi, in quo holocausta & pacifica vestra
& boves offeratis, in loco in quo memoria nominis mei fuerit, veniam ad vos,
vobisque benedicam. Quod si mihi altare lapideum feceris, non ex sectis lapidibus [illegible]
titoli [illegible] presumpseris. Nemo per gradus ascendat ad altare, ne [illegible] appa-
reant. Quod autem vetat altare la-
pidum ex sectis & politis arte politis ex-
trui: [illegible] doctrinam de Deo non esse
humani ingenii artibus transformandam &
inflectendam ad voluntatem aliorum: nec
concinnandas πιθανολογίας esse comminiscen-
das, quibus articuli doctrinae asperiores &
incommodiores ad humanae rationis captum
poliantur. Sed ad leges temporales veniamus.

LEGES POLITICAE.

*Leges temporales triplices sunt: Politicae,*

*Ceremo-*

Ceremoniales & Matrimoniales. Politicæ sunt leges forenses & iudiciales: quæ ad defensionem legis moralis descriptæ sunt, quas deinceps tribus capitibus 21. ad 24. describit: quarum prima est de servis & servorum conditione ac manumissione. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet, septimo vero anno manumittatur gratis. Si cœlebs intrarit, cœlebs manumittatur; si uxoratus, & uxor eius manumittatur. Si dominus ei uxorem dederit, ex qua genuerit filios vel filias, fœmina & liberi domini sunto: ipse solus manumittitor. Quod si servus capiat amore domini sui, uxoris & filiorum, noluerit manumitti, eum dominus ad Deos (hoc est iudices seu magistratus) adducito, eumque ad valvam aut postem applicato, aurem subula perforato, & ille ei perpetuum serviet, usque ad Iubilæum scilicet. Perforatio autem illa debitæ obedientiæ signum erat, admonebatque ne essent surdi, id est, indociles, refractarii & pertinaces. II. De liberorum venditione & emancipatione. Si quis filiam suam vendiderit in servitutem, ea ne servorum more manumittitor. Si ea domino displicebit, nec eam desponderit, redhibeto. In extraneam

tr[illegible] gentem emancipandi potestatem esse, quin [illegible] effecit nominatim. At si eam sibi suo destinauerit, [illegible] quo cum libero [illegible] si alienam duxerit, hic ve-ctus, testata cōgressum fraudato. Si [illegible] hec ei non confesserit, gratis sine pretio manu-mittitor. III. De homicidio, in quo distin-guit [illegible] ducendo cades [illegible] & do-losas a fortuito [illegible] Qui homi-nem percusserit [illegible] capita-le esto. At qui non [illegible] forte fortuna [illegible], [illegible] cum quo [illegible] Si quis [illegible] ce-cem per dolum [illegible] na tu[illegible] abstrahitor. IIII. De parricidio. Qui parē-tem [illegible] capitale esto. V. De plagio. Qui hominem [illegible] cum [illegible] dideritq; aut is apud eum inuentus fuerit, ca-pitale esto. VI. De contumelia in parēts. Qui patri aut matri male [illegible] pan[illegible]. VII. De verberibus & vulneri-bus non lethalibus: de quib. distinguit cla-ssis, ac in tertio memorabilem illam & [illegible] cis quoq; notam Talionis legem sanxit. I. Si quis alterū [illegible] percusserit [illegible]

pede

pede aut pugno, si ille non fuerit mortuus, sed in lecto decubuerit, si surrexerit, & foris ambulauerit innixus baculo suo, percussor sit immunis: tantum illius cessationem & medicationem praestet. 2. Si quis seruum suum aut ancillam baculo percusserit, si in manu eius mortuus fuerit, puniatur. Verum si unum aut alterum diem superuixerit, non punietur quoniam pecunia eius est. 3. Si qui dimicantes mulierem praegnantem vulnerauerint, & abortum intulerint, si pernicies non fuerit, ad aestimationem mariti mulieris mulctā soluant ad iudicium arbitri sententia. Sin autem perniciosus fuerit, vitam pro vita pendito: oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, sugillationem pro sugillatione, vulnus pro vulnere, vibicem pro vibice. 4. Si quis serui sui aut ancillae oculum percusserit, eumque corruperit, eum manumittito pro oculo. Et si serui sui aut ancillae dentem excusserit, eum manumittito pro dente. VIII. De pecude quae quadrupes ferit & damno in quadrupede accepto in qua distinguit 8 casus. 1. Si quē bos virum aut feminā cornu petiuerit, & is mortuus fuerit, bos lapidator, eius caro

ut constiterit, dominum haud impunitum esse. 2. At si bos antea fuerit cornupeta & eius dominus admonitus fuerit, nec tamen custodiverit, si virum aut foeminam occiderit & bos lapidator & eius dominus morte plectitur. 3. Sin ei mulcta imponatur, pro vita sua precium dato quantumcunque fuerit impositum. 4. Sive puerum petierit, sive puellam, similiter esto. 5. Si servum petierit bos, aut ancillam, argenti triginta siclos domino suo dato, bos lapidator. 6. Si quis fossam vel aperuerit vel foderit, nec obtexerit, ceciderit que illuc bos aut asinus, dominus fossae praestato argentum domino illius solvito, ipse mortuum habeto. 7. Si cuiuslibet alterius bovem vulneraverit, & ille mortuus fuerit, bovem vivum vendunto, & eius precium dividunto: mortuum etiam dividunto. 8. Aut si notum fuerit, bovem antea esse petulcum, nec eum dominus eius custodiverit, bovem pro bove pensato, ipse mortuum habeto. IX. De furtis, quo distinguit casus. 1. Si quis bovem ovemve surripuerit, mactaveritque aut vendiderit: quinque boves pro uno reddito, & quatuor oves pro una. 2. Si fur in surripiendo deprehensus, ictus

*ictus fuerit & inde mortuus, homicidij pœnæ reus esto. 3. Si orto sole ictus fu. homicidij pœna esto. 4. Si habet unde reddat, reddat: sin non habet, venditur pro furto suo. 5. Si deprehensum fuerit furtum penes eum viuum, siue bos, aut asinus, aut ouis, duplũ reddito. 6. Si depasto. Si quis immisso pecore suo vastauerit fundum aut vineam alterius, damnũ sarcito de optima parte fundi sui aut vineæ. 7. Si ignis immissus ignem, metam aut frumentum aut messem corruperit, auctor ignis damnum præstato. 8. De deposito, in quo quinque capita distinguit. 1. Si quis apud alterum, argentum supellectilem ue deposuerit, idque de domo eius mo furto ereptũ fuerit, si fur deprehensus fuerit, duplum reddito. 2. Si fur deprehensus non fuerit, tunc dominus domus ad iudices adducitor, [illegible] uerterit. 3. In omni negotio fraudis, siue de boue, de asino, de oue, de veste, de omni re erit amissa, quæ quis dixerit esse suam, [illegible] dita, causa amborũ ad iudices [illegible] verum condemnauerint, alteri duplum reddito. 4. Si quis alterius fidei asinũ, bouem, ouem, aut quoduis pecus commiserit, si id nullo vidente fuerit mortuũ aut fractum,*

*aut ablatum: iusiurandum Iehouæ interponitor, illum rem alterius ad se non accepisse, eamq; satisfactionem dominum eius accepto, neq; depositi quicquam reddito. 2. Quod si e furto ablatum fuerit, damnum præstato domino rei. 3. Si raptum à feris fuerit, testem exhibeto, neq; raptum præstato. XII. De commodato. Si quis quid ab altero utendum acceperit & id fractum aut mortuum fuerit domino rei absente, damnum præstato. At præsente, non præstato: si conductitium erat, pro pretio venito. XIII. De stupro. Si quis virginem non desponsam pellexerit & cum ea concubuerit, eam sibi in matrimonium dotato. Si puellæ pater eam ducere illi nolit, argentum pendito, ut fert dos virginum. XIIII. De pœna veneficarum. Sagas viuere ne sinitote. XV. De pœna nefandarum libidinum. Quicunque rem habuerit cum bestia capitale esto. XVI. De pœna idolatrarum. Qui Dijs sacrificauerit (excepto Iehoua) sacer esto. XVII. De hospitalitate & officijs erga peregrinos & aduenas. Peregrinum ne premito, neue angito: nã peregrini fuistis in Aegypto. XVIII. De iusticia & officijs erga viduas & pupillos:*

lo. Viduam nullam aut pupillum premito: si presseritis, cum ad me conquerentur, eorum ego querelas exaudiam, itaque ferro vos trucidabo: eruntque vestrae coniuges viduae & liberi pupilli. XIX. De mutuo & fœnore. Si cui meorum pauperi tecum versanti pecuniam mutuo dederis, ne te ei fœneratorem praebeto, nec ei usuram imponito. XX. De restitutione pignorum. Si alterius vestem in pignus acceperis, ante solis occasum reddito. [illegible] habet operimentum [illegible] [illegible], in quo recubet: qui si apud me questus fuerit, exaudiam: sum misericors. XXI. De honore magistratui debito. Magistratum ne maledicito. Ne eum execrator, qui est in natione tua princeps. XXII. De officiis iudicum. [illegible] falsam [illegible] ne [illegible] cotto, [illegible] multitudinem in vitio ne sequitor: [illegible] in sententiam multitudinis deflectito. Inopi in lite ne indulgeto. XXIII. De officiis dilectionis, quae etiam inimicis debentur. Si adversarii tui bovem, asinumve offenderis errantem, reducito. Si inimici tui asinum videris oneri succubuisse, ne ei auxilium denegato.

*[illegible] in* *[illegible] XXIIII. De [illegible] ma* *[illegible] & [illegible] non [illegible]. [illegible] viroru [illegible] XXV. [illegible] deci[illegible] XXVI. De sabbatho septimi [illegible] [illegible] ad [illegible] popularu [illegible], & si quis [illegible] vinea, [illegible] XXVII [illegible] per quæ [illegible] ut præcepi tibi [illegible] mensis Abib [illegible] quia [illegible] Ægypt[illegible] me [illegible]. [illegible] præceptum de coll[illegible] pauperum [illegible] frugum [illegible] in agro [illegible]. Denique [illegible] tuas [illegible] ex a[illegible] congregaveris. Ter quotannis omnes tui mares*

*mares in conspectum domini Iehouæ sistun-
tor. In legibus subiecit promissiones de ter-
ra Canaan et defensione populi et bonis cor
poralibus: prohibuit autem coniunctionem
& fœdera cum impiis & idolatricis, ne eorum
exemplis depravemur. Moses itaque has leges
ad publicam notitiam & memoriam in scri
ptum redegit, atque [illegible]
[illegible] confirmavit [illegible]. Deo
[illegible] populo
proposuit, ascendens ad Iehouam ac per 40
dies cum eo moratus est.*

## LEGES CEREMONIALES.

*Ceremoniales leges propriè ad διαταξιαν
in ecclesia Israelitica externam pertinent:
de quibus [illegible] Moses tractare
incipit. [illegible] in superioribus legibus
doctrina & eius publica [illegible] in
his præcipuè disciplina ecclesiasticæ illius
populi comprehensa est. Disciplina autem
ecclesiastica [illegible] publicorum con-
gressuum: in quibus consideranda quatuor:
tempus, locus, personæ, sacrificia. De
temporibus tribus paulo antè dictum est,* 1. Tempus.
*& de his plura erunt Leuit. [illegible]*
Deut. 16.

2 Locus. Deut. 16. Num. 22. De loco autem seu Tabernaculo, in quo Israelitæ conuenire & de Deo recte erudiri & cultus sacrificiorum diuinitus ordinati exerceri possent, extruendo ornandoq́, agitur cap. 25. 26. 27. & 30. Iubet autem Iehoua ad tabernaculum cõferri res necessarias & quidem à volentibus non coactis. Hilarem enim datorem diligit Deus, vt ait Paulus 2. Cor. 9. Promittitq́ Iehoua se præsentem affuturum, & in medio eorum habitaturum. Iubetur autem Moses omnia facere iuxta ideam seu exemplar in monte monstratum. Id fuit Christus, vt D. Paulus Hebr. 8. explicat. Et quidem in iis describitur Arca fœderis, Mensa panum, & Candelabrum, quæ omnia sunt ἀλληγορήματα de persona, officiis & beneficiis Christi: item de ministerio Euãgelii. Arca quidem ipsa in quã collocabantur tabulæ testamenti seu liber fœderis, typus est Ecclesiæ. Significat enim hac imagine Ecclesiam esse eam quæ verbo consignata sit: & verbũ ipsum ecclesiæ signum euidentissimum esse. Partes verò arcæ erant circuli seu annuli, vectes, propiciatorium & duo Cherubim. Circuli & vectes, quibus arca gestatur, significant doctores ecclesiæ &

*& scholasticos. Propiciatorium Hebræis Caphoreth, idem est quod tegmē seu operimentum. Fuit enim tabula quæ tegebat arcam, ex qua Deus cum Mose loquebatur. Et quoniam Cipher interdum significat propiciari, placare, amoliri & auerruncare: ideo interpres Latinus vertit propiciatorium. Et D. Paulus Rom. 3. alludens ad hanc appellationem, ait Christum esse illud propiciatorium, ἱλαστήριον. Est enim verus ἀλεξίκακος & auerruncator omnium malorum nostrorum, habetq́; verum amuletum, quo omnes mali genij fraudes amoliri possumus. Supra hoc propiciatoriū sunt duo Cherubini, hoc est, duæ alatæ imagines, florida & puerili facie, sese mutuò respiciētes. Quo typo duo testamenta, vetus & nouum, significantur: expandētia alas quasi aßiduò volitent: quo aßidua diuinæ in ecclesia doctrinæ prædicatio depicta est. Mutuò autem sese respiciūt, vt vna & eadem vtriusque testamenti doctrina, de persona, officijs & beneficijs Christi propiciatoris consentiens denotaretur. Vetus quidem testamētum est fons noui Testamenti. (Sic enim D. Hieronymus in epitaphio Paulæ. Aethiops Eunuchus (ait) dum*

*vetus relegit instrumentum, fontem repetit Euangelij) Nouum verò testamentum est lux veteris testamenti. Cæterum spaciũ inter duos Cherubinos, oraculum erat seu adytum, ex quo vox Dei audiebatur: ibiq́ sedebat Deus. Vt enim per tabulã arcæ seu propiciatorium humana Christi natura: sic per spacium inter duos Cherubinos diuinitas eius, quæ in humanitate ceu sede habitat, significata est. Atq; hæc de arca & partibus eius. Mensa autem gestans lechem panim, id est, panes facierũ seu propositionis, schaubrot: typus est ministerij euangelici, in quo credentibus Christus, panis vitæ, distribuitur. Denicq; Candelabrum filius Dei Apocalyps. 1. ait typum esse ecclesiæ. Vt enim in candelabro oleum ignem alens lucem de se spargit: ita ecclesia à Christo vera luce oleum spiritus sancti accipiens, igne veritatis & charitatis incensa, lucem de se fidei & veræ doctrinæ emittit. In Tabernaculo autẽ considerandæ sunt primò partes: deinde columnæ, bases, tapetes, velum. Partes autem tabernaculi tres à Paulo in initio cap. 9. ad Hebræos describuntur: prima erat sanctũ sanctorum seu sanctissimum, der Chor, in quo*

*arca*

*arca fœderis & propiciatoriũ sita erant. Secunda erat sanctũ, in quo mensa, altare thymiamatis & candelabrum collocabantur. Tertia atrium, in quo altare æneum (supra quod quotidie sacrificia offerebantur) & lauacrũ erat. Hæ tres partes significabant triplices cultus Dei. Nam sanctum sanctorum significat fidem accedentem ad Deum præeunte summo Pontifice Christo. Sanctum significat disciplinam & obedientiam moralem & officia politica. Atrium significat sacrificia & cæteras ceremonias. Columnæ verò sustinentes tabernaculum sunt doctores & ministri ecclesiæ. Bases sunt Prophetæ; caput Christus. Reliqua tentoria & tapetes, sunt reliqua multitudo membrorum ecclesiæ, quæ doctorũ doctrina & pietate est consociãda. Velum, quo seiungebatur sanctum sanctorum à reliquo templo, significabat (ut D. Paulus 9 ad Hebræos interpretatur) nondum patefactam esse sanctorũ viam, id est, aditum ad sanctum sanctorũ seu ad ipsum cœlum & conspectum Dei, non patefieri sacrificijs Leuiticis. Ideò cum vera hostia (filius Dei) in ara crucis immolata est, velum templi scissum est. Altare deniq; æneum, si-*

*gnificat Christum, per quē accepta sunt hostiæ spirituales à pijs oblatæ: de quo illud poëta rectissimè dici potest,*

Hic murus aheneus esto.

*Cæterùm adhuc de tabernaculo tria considerandā sunt. I. Laureius, quæ extat apud filios Corah Ps. 84. toto. II. Ciuis eius, qui describitur per Dauidem Ps. 15: in quem insignem commentarium Erasmus scripsit. III. Allegoria præclara, quæ apud D. Paulū 9 et 10 ad Hebr. extat.* οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. *Et paulo antè, quadruplex discrimen fecit inter tabernaculum* ἀντίτυπον *&* ἀληθινὸν. *Nam primò Christi tabernaculum maius & perfectius est, nec manu factum. Deinde per proprium sanguinem ingressus est. Tertiò semel tantum ingressus est. Denique æternam redemptionem inuenit.* χριστὸς γὰρ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν

λύτρωσιν

λύτρωσιν εὑράμενος. Atq; hæc de tabernaculo: De personarũ discrimine & sacerdotum ordinatione, præcipit Moses 28 & 29 capite. Sacerdos autem aut est summus, ut Aaron, aut minister, ut Leuitæ. In summo sacerdote, Moses describit uestitum pontificalem & ordinationem. Vestitus continet uestes, tiaram & cingulũ. Vestis est aut ephestris aut tunica. Ephestris seu epomis à Mose Ephod uocatur: interpres uertit superhumerale: fuit enim pallium tegens humeros usque ad cinctum. In eo fuit pectorale, quod Moses Chosen uocat, Græci λόγιον seu λογεῖον, id est, Rationale iudicij seu officij, das amptschiltlin. Fuit autẽ pannus palmi amplitudine quadrangulus in pectore sacerdotis: nõ solùm auro & gemmis, sed etiam duabus illustribus notis Vrim & Thumim distinctũ & ornatum. Quo significabatur sacerdotes oportere pectus esse reliqui populi, & doctrina, iudicio, pietate & bonis moribus ecclesiæ prælucere. Gemmæ ternæ per quatuor ordines inerant: in primo ordine sardonyx, topazius, smaragdus: in secundo carbunculus, iaspis, sapphirus: in tertio lyncurius, amethystus, achates, omniũ nonus: in quarto

3. Personæ.

*to chrysolithus, onyx, berillus, omnium vltimus: his omnibus erant insculpta filiorum Iacobi nomina, qui tribuum autores fuerunt, ordine quo singuli olim nati fuerant. Ipsum verò Ephod connectebãt in humeris sardonyches duo ex vtroque humero: quibus insculpta itidem Iacobi filiorum nomina erant, in vtroque lapide sena, ita vt seniores dextrum humerum obtinerent. Hæc vestis (ait Iopsephus lib. 3. antiquitatum capite 9.) omnem sub prophetiæ prætextu imposturarũ occasionem adimebat his qui illa vtebantur: liberumq́; Deo vel adesse sacerdotibus vel non adesse, omnibus & popularibus & exteris, si qui fortè huic spectaculo interuenirent, demonstrabat. Ex lapillis enim quos pontifex in humeris gestabat, micabat alter quoties litatum esset, is qui dextrum humerum occupabat, tantumq́; fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conspiceretur, idq́; præter naturã suam & consuetudinẽ: quod certè admirationem meretur apud omnes, nisi si qui ex contẽptu religionis opinionem sapientiæ aucupãtur. Sed mirabilius est, quod per duodecim gemmas, quas in pectore põtifex gestabat, in bello vi-*

*lo victoriā prænunciare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret adesse Deum, opemq́ & auxiliū suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci quotquot ab Hebræorum religione non abhorrebant, cum hoc miraculum pro cōpertissimo haberent, Chosen* λόγιον, *id est, oraculum vocarunt. Desijt autem tam Chosen quàm sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc Iosephus commentaretur, irato Deo propter suarum legum violationem. Vrim autem & Thumim quidā aiunt gemmas ipsas sic vocari, quòd lucerent sicut ignis, & essent perfectæ & integræ. Vnde non inconcinna est hæc interpretatio de sacerdote, vt gestet in pectore Vrim, id est, lucem & Thumim, id est, morum integritatem & perfectionem: & vt in summa Logicus sit. Vrim enim significat splendorem mentis lucemq́ ad cogitandum & perspiciendum: Thumim ordinis accurationem & perfectionem ad integrè incorrupteq́ iudicandum. Itaq́ per Vrim & Thumim veluti perfectas absolutæ sapientiæ vias petita oracula memorantur. Quæ*

*cum ita sint & haud dubiè Logicæ inuētionis & dispositionis diuinitas hic laudetur: nō difficile est intelligere quo spiritu agitentur vespertiliones, qui talē tamq́, diuinū & popularē splendorē & lucē ferre nō possunt: terminales nimirū mystæ, qui pro Vrim & Thumim egregiam quandā terminorū (vt suppositionū, ampliationum, similiumq́, nugarū) artem repererunt: non minus barbaram, quā ridiculam atq; ineptā: per quam id egerunt, vt publicis studijs insidias facerent, pueros liberaliter institutos in barbariem deducerent, in obliuionem bonarū literarum traherent, & in aculeatas spinas præcipitarent, vt his tribulis pasti omnem ingenuæ cognitionis amorem abijcerent & ex hominibus asini fierent: hic enim terminorum terminus est. Atq; hæc de epomide: Tunica gemina fuit: vna amplior, altera strictior seu camisia. Amplior, hyacinthina & talaris fuit, quæ in imo ornabatur limbo effigie malorū punicorū distincto, à quo tintinnabula aurea sic dependebāt, vt mediū esset quodq́; malum punicū inter duo tintinnabula situ et tintinnabulum inter duo mala punica. Mitra seu infula laminā auream*

*habe-*

*habebat, in qua scribebatur DOMINVS SANCTVS. Atq; hæc de pōtificali ornatu: sequitur ordinatio, in qua obseruandi sunt ritus ordinandi, inter quos adhibebātur liba & vini effusio, induebantur vestes, vngebatur caput, consecrabantur manus, adhibebantur victimæ quibus imponebantur manus, eaq́; certa ratione secabantur, vnde Paulina τ͂ ὀρθοτομεῖν metaphora 2 Tim.2. de qua piè & splendidè Philippus cū alibi, tum præcipuè in oratione, quæ extat in 3 Tomo declamationū. His ita expositis, subÿcitur à Mose descriptio altaris thymiamatis seu incēsi, quod singulis diebus adoleri oportebat: & aspersio cornuum altaris, quæ quotannis semel in festo expiationis decimo die mensis septimi fiebat sanguine hostiæ pro peccato. Hunc typum expiandi altare septies asperso sanguine vituli & hirci, enarrat Apostolus cap.9 & 10. ad Hebr. Additur autē & præceptum de dimidio sicli argentei à singulis Israëlitis viginti annos natis, ad tabernaculū seu templū illud portatile cōseruandum viritim cōferendo. Erat aūt siclus pōdere quatuor drachmarū Atticarum, vt scribit Iosephus cōmemorato loco: æqualis stateri. Cum*

autem octo drachmæ valeāt ferè vno aureo Rhenensi: decē, vno coronato: dimidiū sicli vel δίδραχμον (vt Matth. 17. nominatur) valebat quarta parte aurei Rhenensis. Describitur etiā labrum seu lauacrum, item oleum & thymiama, ad quorum compositionem seu mixtionē sumebatur, myrrha, cinamomum, calamus aromaticus, casia, stacte, onycha, galbanum & thus. Quinetia à Iehoua operum egregiorū opifices excitantur, vt Beseleel & Oliabus. Interea cum Moses diutius in monte cum Iehoua moraretur, populus ad Aaronem cōfluens, Facito, inquit, nobis Deos: nam quid Mosi acciderit, ignoramus. Aaron importunitate populi coactus, aureas inaures & mundum muliebrē vxorum & filiarum eos afferre iubet. Afferunt illa & vitulum aureum inde conflant, eiq; immolant. Moses de monte descendens, & duas testimonij tabulas manibus ferens, lapideas, vtrinq; scriptas: vt castris appropinquans, vitulum videt, iratus tabulas cōfringit, vitulum cōminutum comburit, scobe in aquā coniecta potat populum. Leuitis mandat, vt per castra grassentur: à quibus circiter tria millia hominum occisa sunt: Iehoua tamen

*tamen pleniorem animaduersionẽ in suum tempus reiecit. Quod autẽ ad vitulum attinet, alij eum opere fusorio formatum aiunt, alij stylo formã eius adumbratã, alij ab Aarone aurẽ in formulã seu typum iniectũ fusumq; atq; ita vitulũ conflatilem factũ: alij stylo seu scalpello exsculptũ. Iudæi verò artibus Magicis Aegyptiorũ, qui vnà ex Aegypto ascenderint, contra Aaronis voluntatẽ effectum esse credunt. Vtcunq; sit, non est friuola eorum opinio, qui existimant κακοζηλίᾳ quadã hunc vitulum ad instar Apis quẽ Aegyptij per speciem tauri coluerunt, effictũ esse, de quo Herodotus lib. 3. Aaron certè metu seditionis & periculorum imminentiũ, populo cedens & carnali timore, propria sapientia seu temeritate sine verbo Dei, nouũ cultũ instituens: exẽplo suo ostendit etiã sanctissimos & sapientissimos viros posse horribiliter labi & errare: Tabulæ verò fractæ significant legẽ Dei à natura humana nõ seruari integrã, ideoq; lege nõ iustificari quenquam, sed eam in petrã, qui est Christus, incumbere. At Moses nouis tabulis cõfectis, Sinaiũ montẽ denuò conscendit & cum Iehoua facie ad faciẽ, hoc est corã et familiariter loquitur:*

*loquitur: quo colloquio nil diuinius cogitari potest. Moses Deum rogat, vt ostẽdat sibi gloriã suã: respondet Iehoua se sua bona omnia sub oculos Mosis subiecturũ, nõ tamẽ vt Moses Dei faciẽ ipsam intueri posset: qa letalis mortalib. oculis talis intuitus esset, sed vt à tergo Dei posteriora videat. Facies Dei est ipsa eius essentia: posteriora Dei sunt ingentia opera & miracula, in quib. se generi humano ostẽdit. Exodi igitur 34 trãsiens Deus ante Mosen clamauit: Iehoua Iehoua fortis, misericors & miserator, tardus ad iram & multus misericordia & veritate, seruãs misericordiã in millesimũ, auferens iniquitatem & præuaricationẽ & peccatum: & qui absoluẽdo non absoluit: visitans iniquitatẽ patrum super filios & super filios filiorũ, super tertiã & quartã generationẽ. Hîc Iehoua gloriam diuinitatis suæ, non solùm in fortitudine & iusticia, sed in bonitate et beneficẽtia. i. misericordia consistere ostẽdit, Mosenq́; p̃ceptis legibusq́; denuò instruit, vt de impiorũ cõiunctione et familiaritate vitanda, de idolatria et idolothytis fugiẽdis, de festo pascatis, de primogenitis, de collatione facultatũ ad vsum diuinũ, de sabbatho, de festo pen-*

*ſto pẽtecoſtes et tabernacalorũ, de primitys. Cũq́; p quadraginta dies, totidẽq́; noctes Moſes in mõte cũ Iehoua ſine cibo et potu cõmoratus eſſet, rurſus ad populũ deſcendit, duas nouas tabulas ſecũ deferẽs, qbus decẽ illi ſermones inſcripti erant. Cæterũ facies eius ita fulgebat: et ut in Hebræo eſt, radiabat inſtar cornu cutis faciei eius, vt eã populus intueri neqret. Vulgata verſio habet ꝙ cornuta fuerit eius facies. LXX verterunt* δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου: *quã verſionẽ Paulus 2 Cor. 3 retinuit, cũ ait nõ potuiſſe* ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον μωϋσέως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ: *vbi allegoriã quoq; Apoſtolus explicat: Nã claritas faciei Moſis, legis maieſtatẽ indicat, quã nõſtra corda ferre aut intelligere nõ poſſunt, niſi ſublato per Chriſtũ velo, q eſt lux & vita: ideoq́; vſq; ad diẽ hodiernũ uelamẽ idem hodiernis Iudæis in lectione veteris teſtamẽti manet, qa oculos in finẽ eius ꝙ abolitũ eſt, intendunt. Reliqua q̃ in Exodo ſequũtur, nihil aliud continent q̃ repetitionẽ ſuperiorũ. Præcipit enim Moſes populo vt conferat res neceſſarias ad ædificationẽ tabernaculi: deliguntur artifices, vt fabri lignarij, polymitarij, plumarij:*

*inchoa-*

*inchoatur ædificatio, populus plus confert q̃ necesse erat: cõficitur arca fœderis, ꝓpiciatorium, duo Cherubini, mẽsa, candelabrũ, altare thymiamatis, et æneũ, atriũ, colligitur summa auri, argẽti, & æris in structurã templi insumpti. Tandẽ erigitur tabernaculum & dedicatur, anno mundi 2454: die primo mẽsis primi, secũdi anni ab exitu. Confectũ aũt est tabernaculũ mensib. septẽ: numerus verò eorũ, q cõtulerũt, fuit sexcẽtorũ quinq; milliũ, quingentorũ et quinquaginta: cũ ex ingenuis ij duntaxat cõferrẽt, q vigesimum annũ excessissent, vsq; ad quinquagesimũ. Ostẽdit autẽ Iehoua suo in tabernaculũ descẽsu, id opus ex animi sui sentẽtia cõfectum esse. Præsentiã porrò suã ita declarauit. Vapor soli tabernaculo incũbebat, neq; densus et inuolutus ac nubib. similis, neq; tenuis & rarus, vt penetraret visus, sed suauis inde ros distillabat. Atq; hæc de ꝑsonis: supersunt*
4. Sacrificia. *sacrificia, de quib. Leuiticus ex ꝓfesso agit. In sacrificijs autẽ consideranda sunt primò causæ & species: deinde discrimẽ mundorũ & immundorum. Causa efficiẽs est Iehoua, qui expresso verbo singula sacrificiorum genera ipse expreßit. Materia sunt hostiæ immaculatæ*

*maculatæ & fructus. Hostiæ aliæ sunt maiores, vt boues, vituli, arietes, agni, hirci, hædi: aliæ minores, vt turtures, columbi, passeres. Fructus sunt, thus, oleum, vinum, simila, placētæ, libamina. Forma est in ipsa Iehouæ institutione & solenni ritu. Finis est, vt sint typi Christi. Species sacrificij duæ fuerunt: Farinæ & Animaliū. Animalium sacrificia Iosephus in publica seu ordinaria & priuata diuidit: illa publicis, hæc priuatis sumptibus peragebantur. Publicum est quotidianum aut interpolatum: Quotidianum rursus Matutinum & Vespertinum. Interpolatum quoq; aut incertum vt consecratio sacerdotū, aut statum fixumq; idq; vel Sabbathinum vel solennium festorum, vt pascatis, pentecostes, tabernaculorū, expiationis. Priuatum sacrificium est vel holocaustum vel pacificum vel pro peccato. Ad pacificum pertinet sacrificium laudis & voti: & oblatio primitiarum, primogenitorum & decimarum. Atque hæc sacrificiorum methodica diuisio esto. Cæterùm in Mose historica serie sic illa se consequūtur. Primò holocaustum, quod totū in altari cremabatur: Hebrais Olah ab Ala ascendit: quòd totum*

*tum in altari aſcendit ſeu abſumitur. Gracè ὁλοκαυστον, ὁλοκαύτωμα, ὁλοκάρπωσις, κάρπωμα, quòd totũ eſſet fructus ſeu eſca ignis. Id duplex eſt: nimirum hoſtiarum vel maiorum vel minorum. Maiorum ſacrificium eſt item duplex: vel bouis vituliq́ue, vel agni, arietisq́ue. Minorum ſacrifitium eſt turturis aut pullorum columbarum. II. Mincha, id eſt, ſacrificiũ cibarium: ſeu farinæ: ſpeiſopfer. Fuit enim oblatio farinæ, panis aut granorum frumenti, ſale cõſperſorum, cum certa mẽſura vini & olei: omnibus holocauſtis & pecudum ſacrificijs addenda. Latinè Fertum vel immolatio à mola vel libatio à libo, quod eſt genus placentæ, vel adoreum ſacrificium aut farreum nominant. Huius tres ſpecies fuerunt. 1. ex ſimila ſeu flore & delicijs farinæ triticeæ nondum coctæ. 2. ex panibus ſeu placentis coctis vel in clibano vel in ſartagine vel in patella. 3. ex ſpicis de primitijs frugum nondum cõmolitis, ſed igne toſtis & oleo ac thure impoſitis. III. Sacrificium euchariſticũ ſeu pacificũ, danckopfer, Zebach ſchlamim, θυσία σωτηρίου, hoſtia ſalutis: teſtimoniũ gratitudinis pro pace ſeu ſalute à Deo accepta: id triplex fuit; Bouis,*

*Bouis, Ouis, Capræ. IIII. Sacrificium pro peccato: in quo consid. hostiæ & species. Fuerunt autē duplices hostiæ pro peccato. Nam aliorum animalium sanguis in sancta inferebatur: eorumq́; carnes, pelles, caput, extra castra cremabantur: nec licebat sacerdotibus de illis quicquam edere. Hebr. 13. Aliorum verò sanguis non inferebatur in tabernaculum testimonij: eorumq́; carnibus vesci licebat sacerdotibus. Species autem sacrificij pro peccato duæ fuerunt: vna pro peccato ignorantiæ & omißionis: altera pro delicto spontaneo. Peccatum ignorantiæ est quod errore vel infirmitate vel præcipiti aliquo affectu admittitur: vel à summo sacerdote, vel à populo, vel à principe, vel à priuato aliquo. Peccatum spontaneum est delictum* ἐκ προαιρέσεως *seu consultò & spontè contra legem Dei moralē & ceremonialem admissum. Hîc consid. hostiæ & species delicti. Hostiæ enim quibus peccata & delicta priuatorum expiabantur erant. 1. agna vel capra. 2. duo turtures vel pulli columbæ. 3. farina triticea. Genera verò delinquentium varia sunt: 1. audientes periurium & non indicantes veritatem: seu iußi dicere testimonium*

& reticentes veritatem. 2. tangentes animalia vel homines immundos. 3. temerè aut inconsideratè iurantes. 4. auferētes aliquid è rebus consecratis: vel errore & obliuione non soluentes primitias aut alias res voto vel sponte consecratas. 5. errore facientes aliquid prohibitum lege Dei: vel delinquentes aduersus sanctuarium vel proximum. 6. negantes depositum, & fraude vel vi aliorum bona ad se transferentes. V. Sacrificium laudis seu gratiarum actionis, θυσία αἰνέσεως: quod fuit velut Mincha seu sacrificium cibarium: semper iungendum sacrificio pacificorum: quo confitebantur pij se beneficium à Deo accepisse, ideoq; se Deum autorem beneficij vicißim laudare & celebrare. Constabat autem non ex pecudibus: sed panibus & crustulis oleo unctis & simila oleo frixa. VI. Sacrificium voto vel sponte susceptum: quod vouetur & promittitur Deo in expectatione beneficij ab ipso petiti. VII. Sacrificium consecrationis sacerdotum: in quo adhibebātur primò victimæ vt vitulus seu iuuencus pro peccato, aries holocausti, & aries consecrationis: deinde panes azymi: tertiò vnctio vestium: deniq; conuiuium ex sacrificio.

*ficio. Atq; hæc de speciebus sacrificiorum Mosaicorum: quorum enumerationi Moses subijcit historiam de pœna Nadab & Abihu primogenitorum Aaronis. Nam cum hi in aram intulissent victimas non ex præscripto Mosis, sed quales antea solebãt: vt Iosephus ait: & thymiamata de igne alieno, non ex altari holocausti cœlitus misso accendissent: combusti sunt, flamma in eos conuersa & vultus ac pectora eorum depascente: nec succurri potuit, quin ita occumberent. Moses autem iußit patrem eorum ac fratres sublata cadauera extra castra deferre atque ibi honorificè sepelire: totusq; populus inopinatam hanc eorum mortem luxit: solos fratres ac patrem Moses voluit à mœrore abstinere & potiorem Dei honorẽ quàm suam tristitiam habere. Iam enim sacrum amictum Aaron gestabat. Docet autem hæc tam tragica historia, necessaria duntaxat & diuinitus mandata in diuinis cultibus esse facienda. Obiter autem inserit mandatum de vini potu, sacerdotibus templum ingressuris prohibito: quo docet, ministros ecclesiæ, episcopos & pastores μὴ παροίνους esse debere, vt dicitur 1. Timoth. 3. Officium eti-*


am principale sacerdotum Leuiticorum describit, vt scilicet discernant inter sacrum & prophanum, inter mundum & immundum: hoc est, vt habeāt scientiam & discernere possint inter veram & falsam doctrinam, fidem, inuocationem: & inter cultus mundos immundosq́. Tandem de discrimine mundorum & immundorum præcipit ordine, vt de cibis seu animalibus, hominibus, vestibus, domibus: & ad extremum, ritum publicæ expiationis ab omni immūdicie & peccato, quæ à summo sacerdote in sanctum sanctorum ingrediente quotannis semel fiebat, subijcit.

Discrimen mundorum & immundorum.

Animalia.

Quod igitur ad animalia attinet, diuidit illa Moses in quatuor genera: in terrestria, aquatilia, volatilia, & reptilia. Terrestria Behema vocat, eaq́ subdiuidit in quatuor species. Nam primò quædam bisulcas vngulas habent & ruminant, δίχηλα εἰσὶ καὶ μηρυκάζουσι: vt boues, oues, capræ, cerui, capreæ, ibices, bubali, damæ, vnicornes & cætera ferè κερατοφόρα: quibus vesci lege Mosaica concessum fuit. Secundò quædam ruminant, sed bifidas vngulas non habent: vt Camelus, qui inter bisulca & solidipedia medium ferè tenet. Nam imum eius vesti-

*vestigium planum & solidum est, etiamsi supernam vngulam aliquousq; diuidit. Lepus, qui pedem imum πολυσχιδῆ in multos digitos scissum habet. Item Chœrogryllus seu porcus spinosus, quem Hystricem aliâs vocamus, longis circumquaq; armatum aculeis missilibus, cuius pedes in quinos digitos fissi sunt. Tertiò quædam δίχηλα, non ruminant: vt suum genus. Quartò quædam diuidunt vngulam, sed non bifariam in duas chelas, vt boues, capræ: verùm in plures digitos, vt canes, vulpes.*




*Cùm autem Moses bisulcorum & ruminantium solummodo animalium carnes in cibis vsurpari concedat: perspicuum est o-*

*mnia πολυσχιδῆ seu πολυδάκτυλα vt sunt canis, leo, lupus, feles, vulpes, sciurus, pardalis, castor seu fiber, echinus, mustela, tigrides & pleraq; quadrupedia ouipara, vt crocodilus, chamæleon, & ἄσχιδῆ καὶ μώνυχα seu solidas vngulas habentia, vt sunt equus, asinus, mulus, elephas, &c. planè prohiberi: sicut ipsa hominum natura etiam à plerorũq; vsu abhorret. Porcinæ verò carnis vsum & contactum eam quoq; ob causam tanta seueritate prohiberi Lactantius ait, vt à peccatis potißimum & immundicijs Iudæi abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal & immũdum, nec vnquam cœlum aspicit, sed in terram toto corpore proiectũ & ore, ventri semper & pabulo seruit. Vide etiam Plutarch. lib. 4. Symposiacôn problemate 5. & Irenæum lib. 5. qui mundorum & immundorum prolixam allegoriam proposuit. Atq; hæc de Terrestribus animantibus: Aquatilia verò diuidit in ea quæ pinnas & squamas habent & ea quæ his carent. Illa subdiuidit à subiectis locis in pisces marinos, fluuiatiles & lacustres, quibus lege Mosaïca solis vesci licuit: cum ij qui pinnis & squamis carent interdicti essent. E volatilibus*

*Moses*

*Moses viginti species interdixit Hebræis, quæ vel γαμψώνυχα & rostris aduncis rapacia vel nocturna sunt: vt Aquilam, gryphem, haliæetum, miluum, vulturem, coruum, struthionem seu struthiocamelum, noctuam, larum, accipitrem, bubonem, mergulum, ibin, cygnum, onocrotalum, porphyrionem, erodium, charadrium, vpupã, vespertilionem. Omne item volucre interdixit, quod graditur super quatuor pedes, exceptis his quæ saltant, vt sunt 4. species locustarum Arbeh, Soleam, Hargol, Hagab. Reptilia deniq; interdixit: vt sunt Mustela, mus, crocodilus, mygdale, chamæleon, stellio, lacerta, talpa. Atq; hactenus de animaliũ mundicie aut immundicie: sequitur hominum immundicies, quæ est vel in partu vel in lepra vel in fluxu seminis vel in menstruis. Ritus purgationis puerperarum fuit in certis dieb. et hebdomadibus & in sacrificio agni ac turturum columbarumq;. In lepra quinque proposuit Moses: primò species eius tres. Nam nomine lepræ non simpliciter intelligit grauem illum & dirum morbum qui elephantiasis dicitur, sed in genere scabiem, impetiginem, vitiliginem lepræ similem vel ex* Homines.

*qua generari potest lepra: donec de ea à sacerdote iudicatum fuerit. Deinde leprosos è communione hominum eijci iubet, quæ exclusio imago est excommunicationis, de qua Tertullianus: Lex in exemplo leprosi nõ contingendi, imò ab omni commercio submouendi, communicationem prohibebat hominis, delictis commaculati, cum qualibus & Apostolus cibum quoque vetat sumere: Participari enim stigmata delictorum quasi ex contagione, si qui se cum peccatore miscuerit. Tertiò vestium lepram describit. Quartò ritum proponit in mundatione leprosorum obseruandum, qui constabat aspersione sanguinis victimæ & oblatione duarum auicularum: quarũ altera mactabatur, altera in mactatæ sanguinem intincta dimittebatur, quæ Theodoretus dialogo 3. ad duas in Christo patiente & moriente naturas accommodat:* ὄρνεις δύο τῶν καθαρῶν ὁ νομοθέτης διαγορεύει προσφέρεσθαι, καὶ τὸν μὲν θύεσθαι, θάτερον δὲ εἰς τὸ τοῦ θυτέντος αἷμα βαφέντα ἀπολύεσθαι. καὶ γὰρ ἐνταῦθα ὁρῶμεν τὸν τῆς θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος τύπον, τῆς μὲν θυομένης, τῆς δὲ οἰκειουμένης τὸ πάθος. *Quintò ædium lepram eiusq́; expiationem*

*nem describit. Tandem immūdiciem in fluxu seminis & sanguine menstruo agnoscere & expiare docet. Ad extremum festum Expiationis describit, quæ fuit anniuersaria summi sacerdotis in sanctum sanctorū ingreßio a.d. X. mensis septimi: & oblatio vituli & hirci emissarij. Aaron offeret hircū viuum, ait Moses, imponetq́; ambas manus super caput hirci viui & confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israëlis & omnes præuaricationes eorū cum omnibus peccatis eorum, & ponet illa super caput hirci ac emittet illum per viri præparati manū in desertum: & portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem, & abire sinet hircum illum in deserto. Allegoriam huius ingreßionis in sanctum sanctorum & hirci emissarij, prolixā & splendidam, habet D. Paulus cap. 9. & 10. ad Hebræos: & Theodoretus dialog. 3.* ἀρχιερέως θυσία δύο τράγους ἔχει προσφερομένους καὶ τὸν μὲν ζῶα θυόμενον: τὸν δ' ἕτερον ἀφιέμενον. τῶν γὰρ δύο τοῦ σωτῆρος φύσεων, οὗτοι προδιαγράφουσι τὴν εἰκόνα: ὁ μὲν ἀφιέμενος τῆς ἀπαθοῦς θειότητος: ὁ δὲ σφαττόμενος τῆς παθητῆς ἀνθρωπότητος. *Atq; hactenus lege,*

*Mosis ceremoniales: supersunt Matrimoniales.*

LEGES MATRIMONIALES.

*Instituit igitur Moses ad extremum etiam Consistorium causarum matrimonialium, legesq; proponit de coniugio & gradibus personarum: quæ non tantum ad Hebræos (vt Ceremoniales & Forenses leges) sed ad omnes homines & ad omnia tempora pertinent. Sunt enim æternæ & immutabiles regulæ, quibus Iehoua castitatem in genere humano conseruari vult. Itaq; in earum promulgatione, proœmio attentionem comparat. Ego Iehoua Deus vester: Iuxta consuetudinem terræ Aegypti, in qua habitastis, non facietis: & iuxta consuetudinem terræ Canaan, in quam ego vos duco, non facietis, & in statutis eorum non ambulabitis. Iudicia mea facietis & statuta mea obseruabitis vt ambuletis in eis. Hac attentione comparata: tres classes legum matrionalium facit.*

*Prima continet leges de gradibus Propinquitatis in linea tam directa quàm transuer-*

*uersa. In linea directa vetat coniugium parentum cum liberis, priuigni cum nouerca, aui cum nepte proneptéue: auiæ cum nepotepronepotéue. In transuersa æquali, fratris cum sorore, etiamsi altero tantum parente propinqui sint: In inæquali, amitæ cum filio vel nepote fratris: patrui cum filia aut nepte fratris: materteræ cum filio vel nepote sororis: auunculi cum filia aut nepte sororis.*

| | | |
|---|---|---|
| | *Proauus*<br>*Proauia* | |
| | *Auus*<br>*Auia* | |
| *Patruus*<br>*Amita* | *Pater*<br>*Mater* | *Auunculus*<br>*Matertera.* |
| *Frater* | *Hypotheticus* | *Soror.* |
| | *Filius*<br>*Filia* | |
| | *Nepos*<br>*Neptis* | |
| | *Pronepos*<br>*Proneptis* | |

*Secun-*

*Secunda claßis continet leges de gradibus Affinitatis. Prohibet enim matrimonium cum uxore patrui, cum nuru, cum uxore fratris, cum priuigna, cum priuigni filia, cum sorore uxoris. Tertia continet leges de alijs libidinibus illicitis. Quibus absolutis, subijcit cap. 19. repetitionẽ & breuem enarrationem totius ferè decalogi: & praeceptis superioribus pœnas addit cap. 20. Tres quoque leges de Adiunctis seu officijs sacerdotum Leuiticorum cap. 21. subijcit: quarum prima est, ne polluant se attingendis aut deducendis funeribus: secũda ut virgines in matrimonium ducant: tertia ut sint ἀνέγκλητοι, non deformi aut mutilo corpore, ut caeci, claudi, manci, gibbosi, luscioſi, scabioſi. Capite 23. festa describit in Ecclesia populi Iudaici celebranda ut primò Sabbathum, id est, quietem diei septimi. Secundò festa solennia seu anniuersaria quinque: ut pascha, pentecosten seu festum hebdomadarum & primitiuorum, tubarum, expiationis seu propitiationis, tabernaculorũ seu σκηνοπηγίας. Cap. 24. de lucernis, & panibus facierum: item de pœna blaſphemi & de lege talionis agit. Cap. 25. de sabbatho agrorum septimo*

*quoq; anno quiescentium, deq; anno quinquagesimo seu Iubileo, quo restitutio possessionum fiebat. Cap. 26. promissiones bonis seruantibus, & denunciationes pœnarum violantibus legem proponit. Seruantibus enim legem promittit fertilitatem terræ, pacem publicam, victoriam in bellis, fœcunditatem hominum, vbertatem summam annonæ & rerum ad victum pertinentiũ, defensionem & præsentiam Iehouæ. E contra legem violantibus comminatur varia morborum genera, incursiones hostium, sterilitatem terræ, bestiarum grassationem, bella & obsidiones vrbium, pestem, famem horrendam, vastationes vrbium, exilium dissipationemq; & seruitutem populi, desperationem & fugam Dei & terrores conscientiæ: ita vt cogantur fateri se iustè propter peccata puniri. Ad extremũ de votis & eorum redemptione, de primogenitis, de anathematis & decimis pauca quædam docet. Sed tria festa hîc præcipuè obseruatione digna sunt, Pascha in memoriam prodigiosè transmissi maris et Pentecoste in memoriã legis in monte Sinaio latæ ac receptæ, & festum Tabernaculorum. Primum incidebat in Veris initium:*

*tium: secundum in ver iam adultum: tertium in autumnum. Nam septimi mensis die 15. festum erat scenopegiorum à figendis tabernaculis dictum. Septem enim diebus iubebantur commorari in tabernaculis in memoriam veteris historiæ, quòd ex Aegypto profugi, per vastam & horrendam solitudinem peregrinãtes annis XL. habitarint in tentoriis, Deo viam monstrante nocte per columnam igneam, interdiu per columnam nubilam, cuius interim beneficio nec potus nec cibus illis defuit, neç vestes aut calciamẽta detrita sunt. Quo tempore & templum ipsum erat tabernaculum, mansitq; donec Solomon extrueret magnificum illud templum Hierosolymis, ipsis etiam ethnicis venerabile. Huius tam benignæ numinis prouidentiæ, ne vel ipsi obliuisci possent, vel ad eorum posteros non perueniret tanti miraculi noticia: iussi sunt quotãnis circa vindemiæ tempus tabernaculorum festum agere per dies octo, idq; mense septimo, qui quodammodo sic in mensibus est sabbathum, quemadmodum in diebus dies septimus, in annis annus septimus, qui terris quoq; suum dabat ocium: in annorum hebdomadibus Iubilæus;*

*septem*

*ſeptem annorum complectens hebdomadas. Menſis autem ille fermè totus feſtis & ſacrificijs peragebatur, quo ſimul & Leuitis prouideretur & populus agnoſceret ſe, quicquid terra produceret, diuinæ munificentiæ acceptum ferre debere: vt nec ad luxum abuterentur, ſi quãdo annona prouenißet largior: nec deſponderent animum, ſi quis annus extitißet ſterilior: ab ipſis admoniti tabernaculis, quòd cum per ſteriles arenas ac ſitientes facerent iter, dominus nõ paſſus ſit illis quicquam deeſſe, ſed mannam demiſerit è cælo, aquam effuderit è petra. Ad ſolennem autem illam tabernaculorum feſtiuitatem ſolennes etiam hymni accommodati fuerunt: tales ſunt (vt vigilanter ab Hieronymo eſt annotatum) tres Pſalmi, quorũ titulus meminit torcularium, octauus, octogeſimus & octogeſimus tertius. Quoniam enim menſe Septembri vindemiæ tẽpus erat, ſignificantius & ad myſterium accommodatius erat dicere pro torcularibus, quàm mẽſe ſeptimo. Sic Horatius initium veris indicans non inamœno tropo dixit:*

—*Veniam Zephyris & hirundine prima.*

*Et ſic aliquot pſalmorum titulus habet mentionem*

*tionem liliorum seu rosarum, vernum tempus indicans & eius temporis festa, quibus hoc canendi certamen inter prophetas celebrabatur. Quoniam enim gentes solent vindemias prophanis & impijs ritibus in honorem ridiculi Bacchi celebrare: incompositis ludis, indecoris saltationib. & obscœnis verbis lasciuientes: Moses publicam lætitiam ad religiosam gratiarum actionem, petulantes motus ad propheticas saltationes (nam & Dauid in honorem Dei ante arcam saltasse legitur) impios hymnos & impudicos sermones ad mysticos psalmos conuertit, effecitq́; vt impurus cultus, quem aliæ nationes dæmonibus exhibebant, in veri Dei cultum verteretur. Habebant & gentes in his Lenæis sua certamina, in quibus homines parũ sobrij, facie fecibus oblita de plaustris ridicula carmina in obuios iaciebant: victori præmium erat hircus, dignum (vt aiunt) patella operculum. Hîc inter prophetas erat certamen, plenum religionis ac reuerentiæ, Sed satis de Mosaica Nomothesia: ad eius historica exempla in Numeris proposita accedamus.*

EXEM-

EXEMPLA LEGIS IN Numeris proposita.

*Deinceps in ecclesia populi Israëlitici pœnarum (quibus peccata contra legem expiata & punita sunt) exempla historica multa & insignia extant: sed in tanta diuersitate narrationum, nullum meliorem ordinem tenere possumus: quàm historicum secundũ stathmos & ἀπάρσεις, vt LXX vocant. vel vt Latini appellat castra & mãsiones: quarum XLII in extremo lib. 4. numerantur: quasq; illustri allegoria D. Hieronymus in epistola ad Fabiolam explicauit: ostenditq;, singulis partibus & exemplis ad Christianum hominẽ ceu verum Israëlitam accommodatis, quibus gradibus, relictis vitijs, duce Christo ad perfectam pietatem peruenire liceat. Vt autem in singulis præcedẽtibus libris locus aliquis præcipuus & illustris præ cæteris elucet: nimirum in Genesi promißio benedicti seminis seu Euangelium in paradiso editum: in Exodo Lex seu Decalogus in monte Sinaio promulgatus: in Leuitico Ceremoniæ ceu typi sacrificij Christi: ita in hoc libro Numerorum historia est defensi populi Israëlitici, per XXXIX annos in deserto*

*vagantes. Cum igitur duodecimis castris Israëlitæ ad montem Sinaitum continuos vndecim menses & dies viginti hæsissent: legẽ die quinquagesimo post exitum ex Aegypto accepissent, tabernaculum die primo anni secundi erexissent, leges etiam ceremoniales percepissent: tandem Iehouæ iussu Moses populum ad arma ferenda idoneum numerat. XII tribus distinguit & ex singulis principes singulos eligit castrorum ordinem circa tabernaculum faciendi designat. Summa ciuium hoc lustro Mosaico censorum fuit 603550 virorum bellatorum. Vexilla primaria fuerunt Iudæ, Rubenis, Ephraim, Danis. Castrorum autem dispositio talis fuit.*

XII. mansio.

Septentrio.

Occidens.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| D[illegible] Aser. | | | N[illegible]ali [illegible]as. | |
| Beniamin | Gersonitæ | Meraritæ | Aaron, Moses | Isachar |
| | | Tabernaculum | | |
| Manasse | | Chaatitæ | | Zabulon |
| Ephraim | Gad | Simeon | Ruben | |

Oriens.

Meridies.

*Leuitis etiã officium tabernaculi gestandi præscribit, legem de pollutis & immũdis è castris eyciẽdis, de sacrificio Zelotypiæ, et de Naza-*

*Nazaræis proponit. Zelotypia inquisitionẽ scrupulosæ ceremoniæ continebat in potione aquæ sanctæ, amaræ maledictæ, quæ femur decideret, & vterusque intumesceret adulteratæ: contra fœcunditas castæ accederet. Nazaræus autem à voce Nazar significat separatum & consecratum ad certum cultum diuinitus ordinatum, videlicet vt non bibat vinum, non radat comam, non intersit funeribus, & tempore separationis finito, certa sacrificia offerat. Erant autem Nazaræi in lege, typi Christi qui non litera bibit enim vinum sed spiritu Nazaræus fuit segregatus ex toto genere humano, & Deo consecratus. His expeditis, formulam benedictionis proponit qua Aaron Israelitis à Iehoua precatur custodiam, lucem, misericordiam, pacem: dona etiã & oblationes principum recenset. leges quasdã de Leuitis repetit & senibus emeritis vacationem concedi iubet: docetq́; quando castra mouenda sint: nimirum Deo duce, & auspice nube interdiu tegente tabernaculum. Nam cum ablata esset nubes quæ tabernaculũ protegebat, tum proficiscebãtur Israelitæ: & in loco vbi consistebat, ibi castrametabantur. Ad im-*

*perium Iehouæ proficiscebantur, ad imperium illius figebant tabernaculum. Ad imperium Iehouæ figebant tentoria: ad imperium illius deponebant. Ad vsum vero profectionum & itinerũ castrensium duas tubas argenteas ductiles fabricari Mosen Iehoua iussit: quarum tamen etiam in cogenda multitudine & præfectis Israëliticis conuocandis: & in signo prælij dando, deniq. in festis & conuiuijs sacris ad Iehouæ laudes decantandũ vsui esset. Cæterum nube Iehouæ auspice Israëlitæ continuũ triduum à monte Sinaio progressi, decimatertia castra fixerunt in deserto Pharan, eo in loco qui ab euentu, hoc est à sepulcris Israëlitarũ intemperantiũ Cibroth Hattaauah seu sepulcra concupiscentiæ nominatus est. Hic primò Hobab affinis Mosis, frater Sephoræ, cum Mose ire recusans, ab eo persuadetur vt itineris monstrator Israëlitis esset. Deinde Mosis precatio, qua in eleuanda & deponenda fœderis arca vsus est, recitatur. Nam quoties eleuabatur arca, dicebat Moses: Surge domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Cum autẽ deponeretur, aiebat: Reuertere domine ad mul-*

XIII. mansio.

*titudinem exercitus Israel. Interea ortũ est murmur populi contra Iehouã: vulgus quippe promiscuum, quod cum Israelitis ascenderat, flagrabat desiderio carnium sedens & flens, assumptis socijs Israelitis: Quis dabit nobis (aiebant) carnes ad vescendum? Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq́ & cepe & allia. Anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi mannam. Ignis igitur Iehouæ accensus, deuorauit extremam castrorum partem. Cumq́ clamasset populus ad Mosen, clamauit Moses ad Iehouã & absorptus est ignis: vocauitq́ locum illum Incensionem, eo quòd accensus esset contra eos ignis Iehouæ. Hîc igitur in primis obseruandum est ingenij humani fastidium & ἀψικορία: & imago maximæ partis hominum, qui ollis carnium Aegyptiorum, pisces, cepe, allia, hoc est, fugacia huius vitæ bona & fallaces voluptates, æternis bonis ac beatitudini anteferunt. Qua populi ingratitudine & importunitate cõmotus Moses, conditionem status sui deplorat, afflictionemq́ & onus appellat. Simul tamen officium boni*

*gubernatoris describit. Is enim non aliter ac si populum sibi subditum genuisset, itaque ὡς τιθηνὸς eum in sinu suo, sicut nutrix infantem, gestat. Iehoua vero hac Mosis politica miseria & onere potius quam honore commotus, Zanedrem seu consilium LXX seniorum instituit, & de spiritu Mosis sumpsit quod in senioribus poneret. Hic autem senatus seu supremum iudicium deinceps (quem Christus quoque Græca voce συνέδριον Matt. 5. vocat) durauit in populo Iudaico annis mille quingentis usque ad Herodem, qui anno regni sui penultimo hoc iudicium ex populo Iudaico penitus sustulit. Requiescente autem in LXX senioribus spiritu Iehouæ, cum Heldadus & Elisabus in castris relicti prophetarent, (id quod solius Mosis antea proprium erat) Iosua ægre ferens, Domine mi Moses (ait) prohibe eos: cui Moses, numquid mea causa inuidus es? Atqui utinam vniuersus populus Iehouæ propheta esset, cúmque spiritus sui participem Iehoua efficeret. Precatur igitur & optat Moses, ut omnes Israelitæ, prophetæ Iehouæ sint, Deique nomen & gloriam suam prophetijs suis glorificent. Interea*

*ventus*

*ventus à Iehoua egrediens, arreptas trans mare coturnices in castra Israelitarum detulit. qui cum se coturnicum ingluuie intemperantius ingurgitassent, carnesque essent inter dentes eorum nondum concisæ & confectæ, tum furor Iehouæ exarsit in populum, percussitque eum plaga grauissima & vocatus est locus, sepulchra cupiditatis, quia ibi sepelierunt populum qui concupierat. Hæc intemperantis gulæ, vel potius ingratæ & immemoris nauseæ pœna fuit. Decimisquartis castris peruenerunt Hazeroth in deserto Pharan: ubi Aaron & Maria propter Aethiopissam seu Sephoram Madianitidem uxorem contra Mosen murmurant ac quasi alienigenam probri loco obiiciunt. Huius typi allegoriam non incommodam aliqui hanc tradiderunt. Maria Mosis soror, est synagoga populi Iudaici: uxor verò Mosis Aethiopissa, ecclesia gentium est: quam Mosi, id est, legi spirituali & vero mediatori Christo copulatam & connubio iunctam esse, Maria, id est synagoga indignatur & unà cum Aarone seu sacerdotibus & Pharisæis Christo detrahit. Sed Deus nuptias Aethio-* XIIII. Mansio.

*pisse seu fœdus Christi cum gentium eccle-
sia confirmat, & Mariam eijcit horrenda
lepra cæcitatis ac furorum Christum igno-
rantium & persequentium punitam. Sed
hebdomade mundi exacta, cum plenitudo
gentium intrauerit, Maria etiam à lepra
liberata, decus fidei recipiet. & omnis Isra-*
XV. Mãsio. *el saluabitur. Decimoquinto castris peruene-
runt Rethmam: vnde duodecim explo-
ratores in terram sanctam mittuntur, si-
mulq. quid in regionibus & vrbibus obser-
uare debeant, monetur. Cum (inquit
Moses) ad montes, considerate terram qua-
lis sit, & populum qui inhabitator eius,
vtrum fortis sit an infirmus, pauci numero
an plures, ipsa terra bona an mala, vrbes
quales, muris ne cinctæ an absque muris,
humus pinguis an sterilis, nemorosa an abs-
que arboribus. Exploratores igitur illi. 40
diebus regione peragrata, reuertuntur, fru-
ctus etiam & abscissum cum vua palmitem
secum in vecte afferentes: ac terræ quidem
bonitatem laudant, sed populo metum in-
ciunt, quasi obtineri nequeat tum ob flumi-
num magnitudinẽ, tum ob ardua montium
iuga, tum ob vrbes munitissimas. Hoc nun-
cio*

cio rursus irritatur animi popularium contra Mosen, adeo vt de eo & Aarone lapidibus obruendo, deq; reditu in Aegyptum cogitarent. Verum Iosua Naue filius & Calebus, soli exploratorum confirmat populum, nullas difficultates pertimescendas esse asseuerantes. Moses quoq; & Aaron deprecantur Deum, ut desperationem illam vulgi sedaret. Iã nubes in tabernaculo aderat, Dei præsentiam declarans: cum Moses animo resumpto, populũ alloquitur, ac Deum iratum esse ait, non tamen perditurum omnes, neq; totam gentem deleturum: sed nec Cananæam terram traditurũ ipsis, quibus per annos 40 commorandum esset in deserto, sed liberis eorum. His à Mose dictis, mærere populus, deinde Cananæos inuadere velle, quã uis vetante Deo, faciuntq; impressione vincuntur: alys cæsis, alys in castra trepidè se recipientib. Interea lapidatur Iehouæ iussu, qui sabbatho ligna tantum collegerat in deserto: vtq; populus omnium mandatorum Iehouæ recordaretur, nec cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes sequeretur, sed perpetuò præceptorum diuinorum memor, faceret ea, essetq; sanctus Ie-

*hoc e iubentur Phylacteria facere, sic enim Matth. 23. dicũtur fimbriæ quibus prætextæ erant vestes circa brachia & pedes extremos, in quib. limbis seu fasciis, verba decalogi filis literarũ figura exprimentib. intexere soliti sunt, vt mãdata Dei in conspectu & ob oculos assidue haberent. Hieronymus scribit fuisse laminas aut membranas, quibus pcepta legis diuinæ inscripta erãt à φυλάττω custodio. Epiphanius scribit πλατέα σήματα πορφύρας ἐπὶ τὰ ἱμάτια ἐπιτηδεῦσαι fuisse. Additq́ Ieronymus in fimbriis induxisse spinas, vt his pungerentur & in memoria legis reducerẽtur. Orta est autem mox populi seditio, huiusmodi ex causa. Coras (vt Iosephus lib. 4. scribit) Leuiticæ trib. homo, genere et opib. maximẽ cõspicuus auræ popularis captãdæ insignis artifex, inuidet Mosi & cõtra eũ vociferatur: adiunctis sibi Dathano et Abirano è trib. Rubenia, vnà cũ aliis ducẽtis quinquaginta viris. Sed hãc seditionẽ vltus est Iehoua horrenda clade. Corã, Dathanũ & Abiramum dehiscens terra absorpsit: ignis vero de cælo ducẽtos illos & quinquaginta consumpsit: prætereaq́; quatuordecim millia Hebræorũ q propterea murmuras-*

murassent. Sed inter mortuos & viuentes Aaron Pontifex medius thuribulo armatus ingreditur & currens ira Dei (vt D. Hieronymus ait) sacerdotis voce prohibetur. Moses autem thuribula illorum virorum circa aenea aram reponi iubet, vt rei gestae monumentū cōtra posteros esset. Vt igitur praemiū modestis erga magistratum & officiosis: ita proteruis & arrogatibus suppliciū à Iehoua propositum hoc exēplo intelligimus. Nullum enim detestabilius crimen est quā seditio & contēptus magistratuū qui cōmunes patriae parētes sunt. Aaron vero stans inter viuos & mortuos & orās ꝓ populo: illustris imago est summi sacerdotis nostri Christi, q inter patrē et nos igne diuinae irae ob delicta consumendos, mediator & sequester intercedit. Post ea cuidē argumentū cū iam satis cōstaret nō ambitu aut fratris gratia, sed diuino iudicio sacerdotiū ad Aaronē peruenisse: nō tamē cessatū est a seditione. Vt igitur mature rebus nouis Moses occurreret, iubet concionem aduocari, edicitq́; tribunis vt nomina tribuum baculis inscripta afferant. Nam illius fore sacerdotium, in cuius baculo signum edidisset Deus. Afferunt igitur tum

*tum alij suos baculos, tum Aaron quoq. suũ, Leuita inscripto. Eos in tabernaculo Dei reposuit Moses, postridie protulit: ac cæteri quidem quales fuerant, tales manserunt. Aaronis autem & ramos & fructus germinarat: quos fructus Iosephus amygdalas fuisse dicit, quia baculus ex eadem arbore fuerit. Obstupuerunt igitur omnes, Aarone ter diuinitus electo: ac deinceps ille sine controuersia pro Pontifice cultus & honoratus fuit. Virga itaque ista Aaronis (cuius pictura Siclo Iudaico inscripta fuit) in templo Iehouæ iussu seruata & ut Hebræor. 9. dicitur arcæ fœderis inclusa, non tantum testimonium vocationis Aaronis & monumentum miraculi diuini & pœna seditiosorum: sed etiam typus & imago Christi fuit: depingens eius personam, quia virga est de radice Iessæ: doctrinam, quæ recta & vera est: sacerdotium, quia aridus in cruce, germinauit pro nobis salutem æternam & regnum, quod iustum & perfectæ rectitudinis est. Amygdalæ verò typi sunt scholarum, vt Philippus docuit his versibus:*

Fructus amygdalinus foris est lanugine cinctus,
Dura magis sub qua lignea claustra latent.

Nucleus

*Nucleus in medio suauis latet atq; salubris,*
*Qui cibus est nobis & medicina simul.*
*Prima ætas molli doctrinæ uoce regenda est,*
*Iucundisq; typis: ista putamen erunt.*
*Durior hinc custos lex est, sontesq; trucidat,*
*Ac omnes homines iudicat esse reos.*
*Sed trepidis Euangelij uox grata medetur:*
*Hæc sunt Isaeidæ significata seni.*
*Ergo scholæ similis credatur amygdalus esse,*
*In qua doctrinæ uox sonat una Dei.*

*Dicitur autem Hebræis amygdalus Schaked ab alacritate & maturitate, quia prima omniũ fructus protrudit & cæteras arbores præuenit: à Schakad vigilauit: ut hinc quoq; intelligamus, in docendo & discendo vigilantiam & alacritatem requiri, quarũ virtutum etiam sacerdotes admonebantur per candelabrũ, cuius calices extãtes ad formam oblongæ nucis amygdalinæ fabrefacti erant. Ia quia Leuitica tribus à bellis & expeditionibus immunis erat, ne ob rerum necessariarum penuriam, sacrorũ curam abyceret, Moses iussu Iehouæ stipendia Leuitis assignat, vt carnes victimarũ, sacrificia cibaria, primitias frugum & fructuum vini oleiq;, res Deo deuotas, & primogenita & decimas: idq; berith melach, id est, pactum*

*Salis*

*salis seu perpetuum & inuiolatum vocat, sicut sal conseruat carnes ne corrumpantur. Quatuor autem species decimarum apud Hebræos erant. Primò .n. erāt δεκάτες seu decimæ omniū frugum & pecudū, quas populus tribui Leuiticæ ad conseruationē ministerij & alendos ministros debebat. Deinde erant δευτεροδεκάδες, id est, decimæ decimarum a populo acceptarū, quas Leuitæ dabāt sacerdotibus. Tertiū genus erat peculiariū decimarū, quas singuli ex populo separabant, ut pro viatico essent quotannis Hierosolymam proficiscētibus. Erant deniq; τριτοδεκάδες, ut Ieronymus vocat lib. 14. commentariorum in Ezechielē: quæ tertio quoq; anno in communē arcā conferebantur pro Eleemosynis pauperū. Sed ut ad Mosin redeamus, sacrificiū vaccæ rufæ interea instituitur, cuius cineris piacularis aspersio fuit: ut Hieronymus ait. Singulis autē annis hanc vaccam Hierosolymis in monte Oliueti extra portam in holocaustum Deo crematā fuisse idem Hieronymus in epitaphio Paulæ scribit. Vacca igitur illa in cineres (qui aquæ viuæ mixti & hyssopo aspersi: cōtactu mortui pollutos sanabant) combusta: illustris typus fuit Christi. εἰ γὰρ (ut D.*

*Paulus 9. Hebr. scribit)* σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους, ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα: πόσῳ μᾶλλον τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ, ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ, καθαριεῖ τὴν συνείδησιν ὑμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι; *Et, vt idē ca. 13 eiusdē epist. ait:* ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε, ἵνα ἁγιάσῃ διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος τὸν λαόν. *Israelitæ vero post 1.. mansionē, per Rimmon Phares, Lebna, Resa, Celatha, Sepher montem, Harada, Macebeloth, Tahat, Thare, Metheca, Hasmona, Moseroth, Bene iaacan, Gidgad montē, Iotebatha, Ebrona,* XXXIII. *Azion gaber 33 castris in desertum Zin vel* Mansio. *Cades peruenerūt anno vltimo seu 40 ab exitu ex Aegypto, q fuit ab initio mundi annus 2492 circa mēse primo. Maria soror Mosis: mense 5, die primo summus sacerdos Aaron obijt, et 11 mense, Moses totū Deuteronomiū promulgauit Deuteron. 1. Videtur mihi (inquit D. Hieron.) in Maria pphetia mortua: in Mose & Aarone legi & sacerdotio Iudæorū finis impositus, quòd ne ipsi ad terrā repromissionis transcēdere valeāt, nec credentem populū de solitudine huius mūdi educere. Et hic iterum murmur & seditio populi, iterumq́;*

*iterumq́; petra à Mose percussa, sed ob diffidentiam & ἀπιστίαν iterato ictu repetita, vt certum fiat sanctos quoq; multa caligine circumfusos, nec omnino ἀναμαρτήτους esse. Misit autem Moses legatos ad regem Idumæorum vt sibi suisq́; transitũ per suam regionem concederet: at rex cum armatis copijs occurrens, transitu eos prohibuit. Profecti igitur de Cades, 34 castra posuerunt ad*

XXXIIII. mansio. *montem Hor: in quem Aaron à Iehoua iussus ascendit, ibiq́; pontificalibus vestibus depositis & Eleazaro filio inductis, mortuus est anno ætatis centesimo vicesimotertio: ut nimirum ostenderet mortem sacerdotio suo non tolli, sed morte Christi. Et profecti de monte*

XXXV & XXXVI mansio. *Hor: tricesimis quintis castra Salmona, indeq; tricesimis sextis Phunon peruenerunt: vbi fames, pestis, bellum simul inciderunt. Nam Aarone mortuo murmurarũt contra Iehouam & Mosem, mannaq́; fastidientes à serpentibus ardẽtibus seu ignitis vulnerantur. Sed ad Iehouam pœnitentia celeri conuersis, Iehouæ iussu Moses æneum serpentem de pertica seu hasta pro vexillo suspendit, quem icti à serpentibus intuentes continuò sanarentur. Atq; in hac historia multa sanè conti-*

*continentur ad meditationẽ religiosam idonea: ut primùm de peccato non tantùm primorum parentum, qui ob fastidium cibi, cõtemptum Iehouæ & superbiã lethalibus serpentis morsibus sauciati sunt: sed etiã Israëlitarum, in quos ob inobedientiam, impatientiam, fastidium &* ἀψικορίαν, *tentationẽ & blasphemiam, presteres immißi sunt qui eos lethiferis plagis perdiderunt. Deinde de fide, qua sola iustificamur: sic enim Israëlitæ solo aspectu serpentis, sine ullo alio opere aut malagmate sanati sunt. Præcipuè autem serpens hic æneus illustris typus est Christi, ut Ioan. 3. Christus ipse de se nominatim interpretatur. Moses enim (ut Nonnus vertit)*

δακνομένων ὕψωσεν ὄφιν δηλήμονα φωτῶν,
δερατίης μεθέποντα τύπον ποιητὸν ἀκάνθης.
οὕτω γυοβόρων τελέων ἀλκτήρια νούσων,
καὶ παῖς ἀνθρώποιο βροτοῖς ὑψούμενος ἔσται,
λυσιπόνου μίμημα δρακοντείοιο προσώπου,
ὄφρα μιν ὃς δέξαιτο νόου πειθήμονι θεσμῷ,
ζωῆς κυδιάνειραν ἐσθρήσειε γαλήνην
ἧς ὅλον ἀρρυτίδωτος ἐπίδεται ἔμπεδος αἰών.

*Nam, ut D. Hieronymus ait, per Christum, qui verum antiquumq; serpentem in patibulo crucis triumphauit, Diaboli venena superantur. Permansit autem hic æneus serpens*

*pens in populo Iudaico annis ſeptingentis vſque ad Ezechiam R. qui eum confregit. 4. Reg. 18. Profecti autem Iſraëlitæ triceſimaſe-*
XXXVII. *ptima caſtra poſuerunt in Obeth: indeq́; tri-*
XXXVIII. *ceſimis octauis caſtris peruenerunt Ieaba-*
XXXIX. mansio. *rim: hinc verò vndequadrageſimis Dibon Gad. Hîc regionem torrentibus Arnon & Iaboc interiectam & Amorrhæis ereptam, iure belli occupant: quæ poſt CCC. annos tẽpore iudicis Iephthe interpellatur. Iud. 11. Poſthæc venerunt ad puteum, vbi cecinerũt carmen hoc: Aſcende putee, quem foderunt duces, exciderunt eum principes populi cum datore legis, cum baculis ſuis. Puteus hic fons vitæ æternæ eſt, Chriſtus ſcilicet: ad quem puteum profundæ ſapientiæ & ſalutaris doctrinæ, Moſes populum omnium gentium in vnitatem fidei congregare iubetur. Foderunt autem eum principes & duces .i. Prophetæ & Apoſtoli cum legiſlatore Moſe, omnium prophetarum & Apoſtolorum doctore, qui (vt paſtores) totum gregem Eccleſiæ baculis & pedis ſuis regunt. Hinc geritur bellum contra Sihon R. Amorræorum & Ochum R. Baſan: cuius venuſtam allegoriam hanc tradiderunt aliqui. Pÿ Iſraëli-*

*tæ*

*ta perditionem Sihon, id est, vastatoris diaboli, principis mundi, transire in terram promissam nitentur. Statim igitur in baptismo renunciant diabolo nec habitaturos se in ipsius palatijs nec in agros aut vineas ipsius declinaturos, sed via regia ( quae est fides in Christum ) se ingressuros esse promittunt. Iratus igitur Satanas, omnem suum populum aduersus pios incitat: sed percutit eum Israël in ore gladij spiritus, quod est verbum Dei & precatio ardens: & habitat in omnibus ciuitatibus illius, cum toto orbe terrarum Christi Ecclesiae propagantur. Et singuli primùm ciuitates Sihonis fuerunt, postea ad Christum conuersi, expugnatis & excisis uitijs, ciuitates Israëlitis & haeredes vitae aeternae fiunt. Huc etiam vrbium nomina quae delentur, accommodari possunt. Amorrhaei gens loquax & garrula. Regnum autem Dei non in sermone & garrulitate disputationum, sed in virtute positum est. Iasa oppidum dormitationem vel ignauiã significat, & sic de caeteris. Verùm quadragesimis castris ad Almon Diblathaim, quadragesi*  XL. XLI.
*mis primis ad montes Abarim (vbi Moses,* XLII. mansio.
*terra promissionis ante conspecta, moritur*

*T 2 & se-*

*& sepelitur) quadragesimis secundis & vltimis in planiciē seu campestria Moab peruenerunt, vbi acciderunt omnia quæ à 22. cap. Numerorum, vsq; ad finem libri & in toto Deuteronomio, vsq; ad tertium caput Iosuæ descripta extant. Hîc cum Balach filius Sephor, Rex Moabitarum paulò ante florentissima suæ ditionis parte inter fluuios Arnonem & Iabocum interiecta per Sihonem Amorrhæum spoliatus, & nunc de reliqua etiam regni parte, ne ab Israëlitis e-*

Balaami ua ticinia.

*riperetur sibi, solicitus esset: ad Balaamum ariolum cōfugit, vt carminibus & ἐπῳδαῖς Deos aut dæmonas in auxilium euocaret & Israëlitas è regione sua depelleret: sicut Israëlitas audiuerat, non tam ferro & armis, quàm precibus & oratione ardenti, hostes vincere solere: vt Amalecitas & Pharaonem precibus potissimum profligatos esse cōstabat. Balaami verò mentio extat 2. Pet. 2. Iudæ 1. & Apocal. 2. cui etsi nota fuit vera de Deo doctrina, tamē κατάρας τέκνα, καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίαις ἔχε τὸν μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησε: vt D. Petr. ait. Ideoq; cōtra conscientiam Israëlitis maledicere & nocere cupijt. Nam & vaticinandi dono & carmini-*

mini-

*minibus noxijs incancationibusque, ac cæteris artibus Magicis eum in omnibus illis gentibus celebrem fuisse, ex hoc quoque loco apparet. ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας. ὑποζύγιον ἄφωνον, ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον, ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν, vt idem ait. Nam etsi Magicis artibus initio Balaamus vtitur & nomen veri Dei suis diabolicis ritibus, more talium præstigiatorum prætexit: tamen Iehoua Balaami voluntatem & conatum per angelum & vocem asinæ loquentis impedit & mutat, ne concepta maledictione dira, Israëlitis nocere possit. Apparatu igitur magico instructo, à spiritu Iehouæ comprahensus, pro maledictionibus benedictiones inuitus effundit & septem vaticinia seu oracula edit. Primum de ingenti numero ex stirpe Israëlitis futuro. Secundum de Christo qui in medio Israëlitarum similis Rhinoceroti consistat. Quemadmodum enim Rhinoceros grandi robore prææditus & vno cornu armatus & natura Elephanti inimicus est, quem cornu acuto ferit & interimit: ita Christus, cornu salutis nostræ & vnicus rex Ecclesiæ omnipotens cum diabolo dimicat, eumque victum triumphat.*


*Tertium est de pulcherrima & florentißima populi Israëlitici Ecclesia & politia, quã planè physicè comparat amnibus latè se per orbem diffundentibus, hortis irriguis & fructiferis, arboribus aromaticis fragrantem odorem latè spargentibus & alios vitali virtute roborantibus, cedris excelsis & odoratis, quarũ ligna immortalia sunt, situlæ ex qua aqua veræ doctrinæ defluit in alias gentes, semini denique velociter germinanti. Quartũ est de stella oritura ex Iacob & virga nascitura ex Israël, hoc est de Christo, qui stella & rex Ecclesiæ, victor omnium suorũ inimicorum, post annos 1470. ex stirpe Iacobi natus est. Basilius & multi alÿ intelligũt stellam, quæ Magis ex oriente ad Christum natum venientibus præluxit & viæ monstratrix fuit. Sunt etiam quidam qui Magos illos Balaami posteros fuisse & ab ipso acceptam doctrinam de aduentu Christi & stella duce ad eum futura retinuisse credũt. Quintum est de deletione Amelechitarũ per Israëlitas facienda. Sextum de Cineis, posteris Obab Madianitæ affinis Mosis, per Assyrios in captiuitatem abducendis. Septimũ de excidio politiæ Iudaicæ per Citthim.*

*thim.i. Romanos post annos 1542. delendæ. His igitur benedictionibus & vaticiniys Balacus irritatus, Balaamum sine honore dimittit: sed de eius consilio mulieres Madianiticas in castra Israelitarũ mittit: quarum consuetudine vsi, Diys earum sacrificarunt & cibos insolitos comederunt: & Baali Peor, id est, idolo nudo seu Priapo (de quo D. Hieronym. cap. 4. & 9. Oseæ) initiati sunt. Sed scelus illud cæde viginti quatuor millium expiatum est. Nam cum Moses populo ad concionem vocato, diceret adolescentes neq; se neq; patribus suis digna facere, eosq; corrigere satageret: Zambres Simeoniæ tribus princeps, qui Madianitidem sibi nuptam insano amore deperibat, impudenter sese Mosi opposuit, neq; vnquam desertuRum affirmauit. Phinees autem Pontificis Eleazari filius, cui Moses magnus patruus erat, doloris acerbitate victus, non prius & Madianitidem & Zambrem gladio ferire destitit, quàm vtrumq; occidisset. Hunc aly iuuenes studiosi virtutis imitati perimebãt adolescentes qui contra leges patrias alienigenis mulieribus se contaminarant. Phinees hic Zelus diuino testimonio iustus pronũciatur:*

Fornicatio cum Madianiticis mulieribus.

*ciatur: ipse verò amplissimo præmio, certa videlicet promissione sacerdotij, afficitur: armo victimæ in æternam memoriam honoratur. Pauca quædam in Numeris subijciuntur, quæ D. Hieronymus breuiter perstringit. Nam numeratur rursum populus, numerantur & Leuitæ, vt interfectis pessimis, nouus populus Dei censeatur. Summa omnium, exceptis Leuitis, fuit ad 601730. Interpellant quinq; filiæ Salphaad: & ex iudicio domini hæreditatem accipiunt, vt inter fratres suos ne fœmineus quidem sexus à possessione Dei excludatur: simulq; gradus successionum ab intestato à Iehoua describuntur. Si quis mortuus fuerit sine filio, ad filiam transibit eius hæreditas. Si filiam non habuerit, succedent fratres eius. Si fratres non fuerint, succedet patruus. Si nec ille erit, dabitur hæreditas proximis. Sequitur vocatio & ordinatio Iosuæ, per Mosen, qui ex hac vita discedendum audiens, Reip. & posterorum cura afficitur: in quo insigne exemplũ boni gubernatoris & de posteritate soliciti proponitur. Iosua igitur dux populi pro Mose constituitur & solenni ritu per manuum impositionem coram Eleazaro Pontifice inaugu-*

*auguratur. Sacrificiorum deinde ἱερατεία iteratur: & quid per singulos dies offerendum sit, differitur. Quid in iugi seu quotidiano, quid in subbathino, quid in neomeniarum, quid in solennium festorum pascatis, primitiarum seu pentecostes, & septimi mensis (vt in festo tubarum, expiationis & tabernaculorum) sacrificijs agẽdum sit: demonstratur.*




*Vxorum & filiarum vota, absq; autoritate patrum & virorum cassa memorantur: & in omni voto ius superioris excipitur. Bellum Madianitis infertur, & vindicta de*

*ipsis sumitur, & sceleris Israëlitici autor, Balaamus diuinus interficitur, vt verũ illud poëtæ appareat,*

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

*Præda distribuitur & anathemata in tabernaculo Iehouæ suspenduntur. Primus Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, vltra Iordanem in Eremo possessionem accipiunt, regionem videlicet Seonis & Oggi regum Amorrhæorum. Docetur populus vt in terra sancta, idola destruat: & nullus de priore habitatore seruetur. Describitur olim cupita prouincia, duarum semis tribuum hæreditas separatur. Numerantur tribuum principes, qui terram sanctam debeant introire. Quadraginta duas vrbes cum suburbanis suis vsq; ad mille passus per circuitum Leuitæ accipiunt. Hæ vrbes velut gymnasia seu Academiæ fuerunt in quibus studia doctrinæ de Deo, legum, promissionis de venturo Christo, literarum, Arithmeticæ, Astronomiæ, Medicinæ & cæterarum artium floruerunt. Adduntur refugij sex aliæ ciuitates, tres intra Iordanem, tres trans Iordanem, vt sint simul quadraginta octo. Ostenditur autem qui nam fugitiui*

*tiui his asylis suscipi, quiq; interfici debeant. Discrimen enim sancitur inter cædes voluntarias & fortuitas. Homicidis autem non nisi mortuo summo sacerdote in patriam redire licebat: vt nec ipsis nobis in cœlestem patriam reditus patere videatur, nisi per mortem summi sacerdotis Christi. Atque hæc summa libri quarti est: sequitur vltimus seu Deuteronomium.*

INTERPRETATIO
LEGIS.

*In Deuteronomio igitur duo consideran. sunt: Argumentum nimirum & Dispositio. Nam vt nomen seu epigraphe indicat, liber Deuteronomij est legis repetitio & luculenta ac copiosa Decalogi enarratio. Partes autem eius tres sunt. Exordium, Explicatio decalogi & Epilogus.*

EXORDIVM.

*Cùm de quadragesimo migrationis anno (vt Iosephus lib.4.cap.7.scribit) triginta tãtum dies seu mensis ferè superesset, aduocata concione ad Iordanem eo loco vbi postea Abila fuit, agrum habẽs palmetis consitũ, Moses verba ad populum fecit & legem Iehoua*

*houa uberius exposuit. Exordium quatuor priora capita occupat: in quo adhortatur ad doctrinam legis diligenter discendam, & obedientiam ipsi studiosè præstandam. Argumenta adhortationis sunt ex commemoratione præmiorum & pœnarum, quæ exemplis beneficiorum & pœnarum populi Israel in deserto illustrantur. Et hac occasione historiam constitutæ politiæ, itinerũ, peccatorum & pœnarum populi in deserto & victi Seonis & Ogi (qui vltimus Gigantum fuit, cuius lectus ferreus & nouem cubitorum) regum Amorrhæorum recitat. Alicubi admonens etiam nihil addendum verbo Dei, nihil detrahendum. Vnde Theodoretus.* Προσθεῖναι μὲν τι τοῖς θείοις λόγοις μανικὸν ἐστι καὶ θρασύ: ἀναπτύσσειν δὲ τὰ γεγραμμένα καὶ κεκρυμμένην ἀνακαλύπτειν διάνοιαν, ὅσιόν τε καὶ εὐαγές. *Docens etiam veram esse sapientiam in lege domini meditari & hac laude politiam Israeliticam præstare reliquis, quòd in ipsa luceat vera doctrina, quodq́; illic certò sit Dei Ecclesia: ad quas laudes totus liber Salomonis (qui Canticum inscribitur) pertinet.*

EXPLICATIO DECALOGI.

*Exinde Moses cap.5. repetit Decalogum & à sexto capite vsque ad vndecimi finem, primum præceptum explicat: optima docendi ratione primò per aphorismos & breues γνώμας erudiens, deinde adhortationes subijciens. Principiò autem totam legem suam sen Thorah in tres classes diuidit in Mizuah, Chykim, Mischpatim. Mizuah sunt ἐντολαὶ seu præcepta & mandata legis moralis & æternæ, omnes omnium ætatum & locorum homines obligantis. Chykim sunt ritus sacrorum & sacrificiorum, seu leges ceremoniales: quasi dicas imagines seu typos aliud demonstrantes. Septuaginta verterūt δικαιώματα. Mischpatim sunt leges iudiciales, forensesq́. Addit autem simul seuerißimum mandatum, vt leges Iehouæ diligenter legamus, meditemur & alijs rectè & eruditè i[illegible]telligendas proponamus, diligenter limatas & illustratas sæpè repetamus in templis, & scholis. Imò vt singuli patresfam. legis doctores sint liberis & nepotibus, siue domi residerent, siue foris peregrinarentur, siue dormitum concederent, siue expergiscerentur è somno: legemq́; vniuersi impressam habe-*

*haberent in corde & animo, in fronte & manu, in angularibus vestimenti fimbrijs cæruleo filo distinctis ( quæ phylacteria dicuntur ) deniq; in ædiũ postibus & foribus. Quatuor autem axiomatis primam, secũdam & tertiam legem comprehendit : quorum primũ est de Fide in vnico Deo acquiescente. Iehoua Deus noster, Deus vnus est. Secundum de dilectione Dei. Diliges Iehouam Deum tum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Tertium de Timore Dei. Iehouam Deum tuum timebis & ipsi seruies & per nomen illius iurabis. Quartum de Tentatione Dei fugienda. Non tentabitis Iehouam Deum vestrum, sicut tentastis in Massa. Capite sequente septem gentes Cananæorum idolatria pollutas, excindi iubet : & communionem societatemqúe impiorum fugiendam præcipit. Prohibet coniugia cum ethnicis : monet de imaginibus & aris idolorum tollendis. De electione & causa electionis populi Israel disserit. Populus sanctus es Iehouæ Deo tuo ( inquit ) te elegit Iehoua Deus tuus, vt sis illi populus peculiaris ex omnibus*

**Primum, secundum & tertium præceptum.**

*bus populis, qui sunt in superficie terræ. Non quia plures essetis præ omnibus populis, amauit vos Iehoua & elegit vos. Vos enim eratis pauciores præ omnibus populis: sed quia diligebat vos Iehoua: & custodire volebat iuramentum, quod iurauerat patribus vestris, eduxit vos Iehoua in manu forti. His axiomatis & mandatis, subijcit per quatuor sequentia capita adhortationem vt iuxta illa obedientiam debitam Iehouæ præstent: illiq́ pro omnibus beneficijs gratias agant: simulq́ historias ingratitudinis & contumaciæ populi repetit, vt de idolatria aurei vituli in mõte Horebo & de murmurationib. vt ostendat non propter ipsorum merita terram Cananæam ipsis poßidẽdam tradi, sed propter gratuitam Iehouæ misericordiã & veritatem immotam. Docet etiam quid Iehoua à nobis requirat: nimirum primò timorem, dilectionem & fidem: deinde circumcisionem cordis: postea hospitalitatem & beneuolentiam erga peregrinos. Deniq́ gloriam & laudem, qua ipsi seruiamus, & adhæreamus. Tandem in remunerationem legis vniuersæ, promittitur Iudæa terra fertilißima. Hoc igitur Iudæis legis obseruatæ præmium*

*est è vita longiore in terra fertilissima, fluente lacte & melle: at nobis per Christum vita longè diuturnior & in hæreditate longè vberiore promittitur. A duodecimo capite vsq; ad decimumsextum, explicat quar-*
Quartum. *tum præceptum de sabbatho: Nam postquã initio de idolatria & idolis ipsis, ac templis & aris illorum funditus excindẽdis monuisset: præcipit de certo loco externi cultus diuini, quem scilicet Deus elegit, vt nimirum illis sacrificarent. De conuiuijs quæ ad tabernaculum celebrabant ij qui pacifica offerebant. De prohibito esu sanguinis. De alendis Leuitis. De norma doctrinæ: vt scilicet quod Iehoua præcipit, id tantum faciant: nec addant quicquam nec demant. De cauendis & interficiendis pseudoprophetis. Deum enim nos tentare per illorum miracula, vaticinia & signa. De pietate & obedientia erga Deum, etiam* στοργῆ φυσικῆ *& amori propinquorum præferenda. De pœna vrbis seducentis à Deo & idolatriam sequentis. De incisura & rasura super mortuo non facienda. De animalibus mundis & immundis. De cadauere. De decimis. De Sabbatho septimi anni, quo creditores ab exigendis debitis quiesce-*

*quiescere & pauperibus qui soluendo non erant, prorsus remittere & condonare debita iubentur. De seruis Hebræis in sabbatho anni septimi sine λύτρῳ manumittēdis. De primogenitis. De tribus festis anniuersarijs: primò de pascate, eiusq; causa formali & finali, vt scilicet memoria liberationis ex Aegypto conseruetur: de loco subiecto & adiuncto tempore. Secundò de festo hebdomadarum seu Pentecoste, eiusq; causa formali & finali duplici, monumento scilicet libertatis & memoria promulgatæ legis. Tertiò de scenopegijs seu festo tabernaculorum: eiusq; tēpore & loco. Deniq; de gratitudine erga Iehouam: ne appareant uacui coram eo. In fine cap. 16. & toto 17. explicat quintum præceptum per duas leges. Prima est de summo iudicio & senatu Reip. ac regni Iudaici constituendo: vbi non tantùm iudicum officiū, sed & iudicialem processum describit. Fuerunt autem duo distincta iudiciorum genera apud Iudæos: vnum Triumuirale, alterum Synedrium seu Sanhedrin. Triumuirali iudicio in singulis vrbibus tres præerant, in quo causæ pecuniariæ & delicta leuiora verberationum, iniuriarū priuatarum,* Quintum.

*furti,&c.decidebãtur. Id Christus Matth. 5.nomine κρίσεως significat.Synedrinm erat paruum & magnum.Paruum ex viginti tribus iudicibus constabat, in quo causæ maiores & capitales cognoscebantur: quod Christus Matth.5.συνέδριον vocat. Magnum fuit senatus 70.seniorum à Mose Numer. 11.constitutus,cui summus Pont.præsidebat: & senes sapientia,virtute,doctrina & autoritate præstantes, è sacerdotibus & Leuitis ac singulis tribubus delecti, assessores erant, quibus postea Dauidis instituto præcipui ex stirpe regia(qui Abisarim,id est,fratres regis & Matthottim, id est, donati iure successionis dicebantur)adiuncti sunt,vt supremum totius Reip. consilium & summus regni senatus esset, penes quem summa potestas erat dijudicandi grauissimas causas ad summam Reip.& religionis pertinentes, de Rege & regno,de bello et pace,de difficilimis dogmatum aliorumq; negotiorum controuersijs respondendi ac pronunciandi: & ad quem à cæteris inferioribus iudicijs appellabatur & in cuius sententia & decreto, sine vlla refragatione acquiescendum erat. Secunda lex,Regia lex dici potest, de electione*

*& of-*

*& officio regis: vt scilicet è gente Israëlitica eligatur, & librum legis diuinæ aßiduè legat: ne se supra fratres suos efferat: néue ad dextram aut sinistram declinet. A Capite decimonono sextum præceptũ explicat vsq; ad vicesimum secundum: præcipitq; de Asylis seu vrbibus refugij, distinguens inter homicidia inuoluntaria & voluntaria. Ius itẽ fœciale Israëlitarum constituit de disciplina bellica & iure legibusq; belli gerendi. Prima itaq; lex est de fortitudine bellica, quæ excelso animo prælia & labores militares suscipit. Secunda de ritè indicendis & gerẽdis bellis & seruandis dedititijs. Tertia de iure belli in expugnatos. Quarta de arboribus fructiferis in vrbium obsidione non excindendis: cui subijcit legem de cæde, cuius autor ignotus est, expianda certo ritu abluendi manus super iuuencam seu vitulam in ualle mactatam. Quinta de iure belli erga fœminas captiuas, & ritu ducendi captiuã: vt capillum radat, vngues alat, vestem ponat, parentes integrum mensem lugeat, vt ex alienigena Israëlitis fiat. Additur & alia lex de capitali pœna et lapidatione filij contumacis et proterui. Item lex de cadaue-*

*ribus in cruce suspensorum ante vesperam deponendis & sepeliendis. Adduntur etiã sex leges dilectionis. I. De bobus aut ouibus proximi errantibus in viam reducendis: & subleuandis asinis sub oneribus collapsis: & rebus proximi amißis fideliter custodiendis & reddendis. II. De distinctione sexus: ne mulier gestet arma viri, néue vir induatur veste muliebri. III. Vt pullis captis mater dimittatur. IIII. De cancellis circum tecta domorum fabricandis. V. De non confundendis seminibus, & non vtenda veste ex lana lineq́; contexta. VI. De funiculis in fimbrijs quatuor angulorum pallij Iudæorũ. Capite vigesimo secundo cũ duobus sequentibus explicat præceptum septimum, legesq́; ponit, 1. de pœna mariti falsò diffamãtis con iugem recens ductam, quòd virginẽ non inuenerit. 2. de pœna vxoris quæ tanquàm vir go nupsit marito, cum prius ab alio compressa esset. 3. de pœna adulterij cũ alterius vxo re, aut sponsa compressa in ciuitate vel in agro. 4. de pœna viri cum puella non desponsa cõcumbentis. 5. de eunuchis & spurijs ad publicas functiones & solennes cœtus non admittendis. 6. de Ammonitis & Moabi*

Septimum.

*tis*

*tis(qui ex incestu concubitu Lothi cum filiabus,procreati sunt )non admittendis ad societatem & connubia Dei. 7. de verecūdia & modestia etiam in castris militum religiosè tuenda. 8. de meretricibus è filiabus & scortatoribus è filijs Israëlis arcendis. 9. de non offerēda Deo mercede meretricis aut precio canis admissarij. Abominabilis enim est Deo immundicies. 10. de diuortijs & libello repudij. 11. de priuilegio noui mariti,cui à bello & alijs oneribus publicis immunitas primo coniugij anno conceditur.*

*A capite 24. ad 26. explicat octauum præceptum:& leges sancit. 1. de beneficētia erga pauperem,cui gratis mutuandum. 2. de pœna plagiarij. 3. de misericordia erga proximum pauperem in repetendo mutuo vel pignore accipiendo. 4. de mercede,laborantibus debita,tempestiuè soluenda. 5. de iusticia erga aduenas,pupillos & viduas, qui prædæ esse solent tutorib. & prætoribus. 6. de reliquijs in agro, vinea,olieto, peregrinis, viduis & pupillis relinquendis. 7. de non ligando ore boui trituranti. 8. de ponderibus & mensuris. 9. de decimis anni tertij pauperibus offerendis. Nonum præceptum supe* Octauum. Nonum.

*V 3 rius*

*rius cap.19.explicatū est. Atq; hactenus explicatio Decalogi fuit: seqtur legis Epilogus.*

EPILOGVS.

*Vt igitur proœmium prima quatuor capita, ita & epilogus nomothesiæ Iouanæ quatuor capita 27.28.29.& 30.occupat. Iubet aūt principio Moses vt transito Iordane, Israëlitæ statuam seu molē lapideā in monte Hebal erigant: in qua verba legis descripta, ad posteritatem extarēt & simul corda nostra lapidea esse monerent. Iubet item vt ex mōte Garizimo benedictiones, ex Hebale maledictiones pronuncientur: quarum formulā longam describit, ex animi bonis & prosperitate fortunarum ac corporis legē custodientibus consecratam, contrarijs verò malis & miserijs, inobedientibus execratam: quibus omnibus subijcit exhortationem ad seruandum fœdus cum Iehoua initum: argumentis ductis ab exemplis beneficiorum & præmiorum & comminatione pœnarum. Agentibus verò pœnitentiam & ad Deū conuersis, promittit remissionem peccatorū & mitigationem pœnarum & liberationē. Atq; hæc vita Mosis fuit, rebus ingentibus & ingentium miraculorum plenis contestata: superest vt-*

*est vltimus actus, in quo Mosis testamentū, canticum & εὐφημία ac tandem ipsa Mors continetur. Moses enim CXX natus annos, cum iam mortem sibi instare sciret, conuocato populo: primùm mandata dat de occupāda terra Canaan, q̄ hospitium et schola Christi futura erat. Deinde ordinat & cōfirmat magistratum & ducem populi Iosuam. Ad hæc mandat de lege Iehouæ per sacerdotes et principes populi asseruanda: eaq; in festo tabernaculorū in anno remißionis debitorū publicè prælegenda. Deniq; prædicit auersionem & idolatriam sui populi post mortem suam cum Dijs alienis fornicaturi. Hac sua vltima voluntate expedita ad præstantißimū illud canticū conuersus est quod XXXII cap. extat. In quo primùm attentionem sibi comparat per apostrophen ad cœlum & terram, suamq; doctrinam pluuiæ & rori confert, quorum irrigatione terra fœcundata, lætas segetes & herbas producit. Deinde duplicem dißimilitudinem inter Iehouam & populum suum proponit. Prior eaq; breuior est de natura Iehouæ, qui est perfectus, verax & iustus: & de natura sui populi, qui vitio originalis peccati corruptus, filij no-*

Testamentū Mosis.

Canticum Mosit.

*mine indignus, peruersus & malitiosus est. Altera eaq; longior est de beneficijs Iehouæ & ingratitudine populi sui. Nam Iehoua pater & dominus eius fuit: eumq; ex omnibus nationibus & gentibus sibi peculiarem elegit: beneficia in eductione ex Aegypto & in deserto ingentia exhibuit: sicut pupillam oculi custodiuit, & vt aquila pullos suos supra alas suas portauit: in possessionē terræ Canaam immisit: omnium bonorum & rerum ad vitam necessariarum copia & abundantia, vt fructibus, melle, oleo, butyro, lacte, agnis, arietibus, hircis, tritico, sanguine vuæ, id est, vino rubro ditauit, beauitq;. At quid è contra pro tot beneficijs iste beneficiarius populus reposuit? Quid dico reposuit? imò turpissima ingratitudine Iehouam contempsit & in nimiam securitatem in tanta bonorum copia prolapsus, alienos Deos secutus horribili idolatria Iehouæ iram erga se prouocauit. Itaq; is iracunde loquens per longam prosopopœiam à Mose introducitur: in qua primò causæ indignationis Iouanæ ponuntur, peccata scilicet populi: deinde effectus subijciuntur, vt pœnæ illius ingratitudinis, quas primò denunciat per allegoriam*

terræ

*terræ, fructuum terræ & sagittarum immissarum. Innuit enim fore vt terra, id est, terreni homines vnà cum germinibus peccatorum suorum incendio iræ suæ deuorentur, & sagittis, id est, pœnarum omni genere configantur, vt sunt fames, febres ardentes, pestis amara, bestiæ nocentes, serpentes venenati, gladius & bellum, pauores & terrores malæ conscientiæ. In media tamen ira misericordiæ suæ recordatur, & promittit fore vt hæc genera pœnarum cum differantur tum mitigentur. Differt enim Iehoua pœnas propter suam gloriam, ne ab hostibus suis blasphemetur. Mitigat autem, cum cõuersi ad ipsum fuerint & pœnitentiam egerint. Iehoua enim occidit & viuificat, ipse vulnerat & sanat, nec est qui ex illius potenti manu quenquam eripere poßit. Is à se afflictos & hostibus traditos, vindicare & vlcisci ita nouit, vt gentes quoq; gratijs agendis, ipsius misericordiam laudare cogantur. Atq; hæc Mosaici cantici summa est: sequitur illius εὐφημία & benedictio. Nam vt Plato in extremo Phædone licet ethnicus, Mosaica tamẽ disciplina imbutus ait, ὅτι δεῖ εὔχεσθαι τοῖς θεοῖς τὴν μετοίκησιν τῆς ἐνθένδε εὐτυχῆ γενέ-* Εὐφημία Mosis.

*διὰ καὶ τῇ εὐφημίᾳ τελευτᾷν: ita Moses quoque cantico, ceu precatione, peracto: εὐφημίαν & benedictionem expediuit: & tribubus Israëliticis ante suã mortem benè precatus est. Sed iam vltima linea rerum instat. Moses itaq; cum ex mãdato Iehouæ in montem Nabo & eius verticem Phasga ascendisset: & Iehoua terrã Cananæam oculis eius subiecisset, mortuus illic est & sepultus, ita tamen vt sepulcrum eius ignoretur ad hunc vsq; diem. Qua in historia insigne exemplũ ad imitandũ propositum est omnibus Christianis, qui placidè, piè & religiosè vitam cũ morte commutare cupiunt. In primis enim hoc agendum est, vt de rebus & bonis quas diuina benignitas nobis largita est, voluntatis nostræ iustam sententiam vel scripto vel voce declaremus, quid de his fieri velimus testemur, posterorum curã habeamus, liberis tutores & defensores constituamus, amicos sui officij admoneamus, ad pietatem sedulò adhortemur: quibus rebus dispositis ad Platonicas illas vel potius Mosaicas εὐχὰς conuertamur & tandem amicis propinquisq; & benefactoribus nostris εὐφημίαν καὶ τὸ μακρὰν χαίρειν expediamus: deniq; cum*

Mors Mosis.

*Mose*

*Mose cultro Euangelij circumcisi, & in Abel hasittim, id est, in luctu spinarum, antiqua peccata, lacrymarum fontibus detestati & cœlesti manna seu pane saturati: verũ pascha nequaquam in Aegypto sed in finibus terræ sanctæ celebrantes, à Christo sepulti sub duce Iosua Iordanem transeamus & in terram sanctam læti commigremus: ibiq́; verum Iubilæum ineamus. In hac autem historia illud admiratione dignum est quòd Iudas in epistola catholica ait Michaëlem aduersus diabolum certãtem disceptasse de corpore Mosis. Nam cum Christus eum sepelierit, & ipsius sepulcrũ occultarit, ne ob excellentem virtutem idolatricum eius cultum Iudæi instituerent: existimant quidam diabolum vt id in apertum proferretur laborantem ab Archangelo increpatum fuisse. Estq́; insignis allegoria Mosis à Christo sepulti, qua significatur non tantum legem ceremonialem & forensem, sed & moralem (duntaxat quoad maledictionem) per Christum esse sublãtam. Annorum ætatis Mosis meminit etiã Trebellius in historia Claudij Imp. Doctissimi Mathematicorum (ait) centum & viginti annos homini ad viuendum*

*dum datos iudicant, neq; amplius cuiquam iactitant esse concessum, etiam illud addentes, Mosen solum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, 120. annos vixisse: qui cum quereretur quòd iuuenis moreretur, responsum ei ferunt, neminem plus esse victurum. Iuuenalis Satyra decima senectutis molestias describens, inter cætera sic ait:*

*Vna senum facies, cum uoce trementia labra,*
*Et iam leue caput, madidiq; infantia nasi,*
*Frangendus misero gingiua panis inermi.*
*Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos*
*Perdidit ille oculos, & luscis inuidet, huius*
*Pallida labra cibum digitis capiunt alienis.*

*At Moses diuino beneficio corporis robore & omnium sensuum vigore ad extremum vsque spiritum vsus est: ita vt neque oculi eius caligarint neque dentes loco moti sint: cuius ἀγηρείας exempla in hac hominum vita rara admodum vel potius nulla sunt. Plato (vt Cicero in libris de Legibus refert) voluit laudem mortui quatuor heroicis versibus compræhendi: ad hunc Platonicum modum, Mosis elogium quatuor quasi versibus consecratum est:*

Non

" *Non ſurrexit ultrà propheta in Iſraël ſicut Moſes:*
" *Qui dominum Iehouam facie ad faciem cognouit:*
" *Signa & miracula coram Pharaone in Aegypto fecit:*
" *Fortiq; manu populum Iſraëlis per deſertum duxit.*

*FINIS.*

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM
HENRICPETRI, ANNO SA-
lutis CIↃ. IↃ. LXXXIII.
Menſe Martio.



